



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



11-8-19





FLL

17029



CHRISTIANI THOMASII  
**INTRODUCTIO**

AD PHILOSOPHIAM AULICAM,

SEU

LINEÆ PRIMÆ LIBRI

DE

**PRUDENTIA**  
**COGITANDI ET RA-**  
**TIOCINANDI,**

Ubi ostenditur media inter præjudicia  
Cartesianorum, & ineptias Peripatetico-  
rum, veritatem inveniendi via.

EDITIO ALTERA


Addita est

ULRICI HUBERI,

Jcti Franequerani

ORATIO

DE PÆDANTISMO.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
*Prostat in Officina Libraria Rengeriana Ao. 1702.*

75/





ILLUSTRISSIMO

ET

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

ADOLPHO

DE HAUGVVIZ,

Dynastæ in Ober- & Nieder-  
Lichtenau/ Reichenbach/ &c.

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

ELECTORIS SAXONIÆ,

(ut multa paucis includam)

SUPREMO STATUS MINISTRO,

DOMINO SUO GRATIO-  
SISISSIMO.





ILLUSTRISSE

ET

EXCELLENTISSE

DOMINE,

Domine Gratosissime.



Uanquam quilibet  
homo ratione sua  
dextere utens non  
solum se obstructum  
sentiat, sed & ve  
maximo gaudio af  
ficiatur, promptissi  
mam & summe submissam Principi suo  
serviendi voluntatem quocunque cor  
poris & membrorum externorum mi  
nisterio declarandi; nescio tamen, qu  
nihil

nihilominus congenitæ & toti humano generi communis alicujus libertatis conservandæ cupidine impulsus, facultati mentis, cognitionem veritatis investiganti, habenas injici, penitus abhorreat, & omnimodo recuset, atque non minimam felicitatis suæ partem, ex desiderio socialitatis, in eo sitam esse sibi persvadeat, si ipsi permissum sit, veritates cognitæ, aut falsitates evidenter demonstrabiles, aliis, cum quibus in societate vivit, iterum communicandi. Uti verò non nisi tyranni, & qui naturæ humanæ bellum inferre conantur, imperium in intellectum humanum prætendunt, & communi quasi rectè sentientium suffragio actiones, aut potius accuratè loquendo, passiones intellectus, legislatoriæ Principis potestati non subjacent; ita tamen negari non poterit, signa externa, quibus alios cogitationum nostrarum participes reddimus, sive sermonem hic aliquis aut scripturam, sive facta alia, communi populi consensu in istum usum determinata, adhibere velit, ut omnes alias actiones

## DEDICATIO.

externas, arbitrio eorum, qui summam Reipublicæ gubernant, subesse; neque adeo murmurare eos, quibus obsequii gloria relicta est, si Princeps, ex ratione sibi cognita, licentiam illam, sensa animi sui aliis aperiendi, arctis quibusdam cancellis limitet, neq; prætextu utilitatis publicæ, utpote cujus determinatio in Principatu nulli subditorum competit, in contrarium niti conatibus legi adversis debere. Equidem id rarissime fallit, libertatem illam in rebus à rationis dictamine dependentibus, si subditis relinquatur, magis proficuum videri publicæ rei, quam detrimento, & sapientem adeo, sicubi illa licentia citra rationem evidentem adimdtur subditis, optare meliora, & quantum in ipso est, eandem mediis omnibus honestis promovere; si tamen videat, per impedimenta aliorum, qui ex veritatis inventione damnnum rerum suarum metuunt, id effici non posse, cedit majori potentiæ & dolebit, Principem optimum à perversis consiliis hominum, prætextu utilitatis publicæ ruinam civitati afferentium, decipi.

decipi. Dolebit verò tacite & actiones suas, ne tranquillitas publica intentione sua, quamvis optima, turbetur, cavebit, præprimis, cum facile prævidere queat, Zelo fortè suo intempestivo se ansam dare posse, ut & ipse & alii ipsi in Republica similes majus adhuc libertatis suæ detrimentum patiantur. Unde quamprimum, quicumque fuerit virtutis & prudentiæ amator, tentare aliquid, vulgi actionibus & opinioni adversum, velit, ante omnia experietur non solum vires & fortunam suam, sed & maximè genium seculi ac eorum, quibus rationem actionum suarum reddere est obstrictus. Quæ non perpeffus est, ob defectum præviæ hujus meditationis, primus jugi Aristotelici excussor in Gallia Petrus Ramus? quam ridiculè non solum ob correctam pronunciationem linguæ Latinæ hæreseos dnmnatus est? sed & quam ignominiosè propter emendatam Logicam & Organon Peripateticorum minus reverenter habitum, à Regiis ministris, pronas aures Veteribus Magistris dantibus, fuit habitus?

tus? quam miserè denique in Laniena  
Parisiensi ob nimium suum veritatis  
studium periit, & quam crudeli inimi-  
corum ipsius delectatione cadaver ejus  
inservivit? Tantum potest infrenis ira-  
cundia hominum, Sapientiam huma-  
nam ore, palliis & barbis, sed non ulte-  
rius, jactantium. Ego perpendens ista  
diligenter, ante aliquot annos, cum in-  
ciperem præjudicia vanitatum, quibus  
obrutum deprehendebam intellectum  
meum, seriò excutere, putavi, in erro-  
rum communium non paucorum in-  
terea detectorum communicatione  
procedendum esse cautè, & per gradus,  
ut cognoscerem, quam libertatem sen-  
tiendi permitterent mores Patriæ, com-  
muni ferè Germanicarum Academia-  
rum genio, paululum ad servitutem  
Aristotelicam inclinantis. Sed fateor  
tamen, frustraneam futuram fuisse cau-  
tionem omnem meam, cum clandesti-  
næ quædam insidiæ, quas mens mea,  
utpote recti conscia ne per somnium  
quidem inaginari sibi poterat, fortunam  
mihi, Rameæ non multum absimilem,  
pro-

## DEDICATIO.

propemodum parassent, nisi Tu **ILLUSTRIS-  
SIME DOMINE**, ex sola *Bonitatis  
Tuae Eninentia* impulsus, obscurum me  
& incognitum hominem, innoxium ta-  
men, *Gratia Tuae* clypeo adversus insul-  
tus adversariorum texisses. Ea siqui-  
dem *Virtutum Tuarum* conditio est, ut  
nec vitia sub pietatis larva vulgo impo-  
nentia, nec ignorantiam habitu sapien-  
tiæ involutam ferre possis, sed infuca-  
tam contra veritatis indagacionem, &  
virtutem supercilio & austeritate caren-  
tem maximoperè amare, fovere, atque  
tueri soleas. Quæ duo felicitatis humanæ  
suprema culmina cum actionum mea-  
rum scopum hæctenus, ex quo juventu-  
tis illecebras ad nauseam usque exper-  
tus fui, unice mihi posuerim, diu jam  
est, quod *Excellentiam animi Tui* magno  
quodam, sed tacito, venerationis cultu  
fuerim admiratus, & occasionem ean-  
dem distinctius cognoscendi, ingenti  
desiderio exoptaverim. Et igitur non  
potui non argumentum ex *Gratia Tua*  
mihi tam generosè exhibita arripere,  
ejus continuationem, & ad oblationem



## DEDICATIO.

humilis obsequii clementem admissionem submisso more exorandi. Concessisti eam non solum, DOMINE GRATIOSISSIME, sed & hactenus præter meritum fructus *Gratia Tua* infucatae uberrimè me percipere permisisti. Quam verò attonitam ac hebetem intellectus mei aciem reddidit propinqua consideratio *Perfectionum Tuarum* magno fulgore coruscantium, cum me alloquio *Tuo* dignareris, & in numerum Clientum *Gratiosissimè* reciperes; & quantâ hæsitatione animum suspensum reddidit ingens illa varietas plurimarum *Virtutum Heroicarum*, ut nescirem quam potissimum ex iisdem alteri præponerem. Sive enim ineffabilem illam. --- --- --- Ignosce, ILLUSTRISISIME DOMINE affectui hominis, meditationi *Tuarum Eminentiarum* nimirum indulgentis, qui me propè eò temeritatis abripuisset, ut conatus fuisset, encomia *Meritorum Tuorum*, infulsâ quadam & intempestivâ panegyri efferre, non attendens videlicet, neq; ad ingenii mei ad istum finem ineptitudinem, neque, quod majus est, ad

## DEDICATIO.

---

ad *Tuam*, quam cum paucissimis communem habes, moderationem, qua ab auscultatione & lectione laudum *Tuarum* abhorres. Scilicet mavis, magnitudine actionum *Tuarum* transcendere encomia nostra balbutientia, quam per sensum delectationis ex commendatione aliorum ortæ, iis, ut illas vulgares, & quas laudibus suis attingere possent, arbitrentur, ansam suppeditare, aut perniciosissimo hominum generi, adulatoribus, accessum ad Te parare. Quapropter non mirandum, quod Clientes *Tui*, quos innumeros numerare potes, magis Te ut *Patrem benignissimum* ament, quam ut *Dominum Potentem* metuant. Ego certe **GRATIOSISSIME DOMINE** ita in perpetuam *Tui* admirationem abreptus sum, ut certo *Tibi* persuadere possis, non esse fastigium istud excelsum, in quo Divina Sapiencia ut *Magni Principis Minister Magnus* existeres, Te clementissime posuit, quod mihi humilem *Tui* venerationem imposuerit, sed solam *Personam Tuam*, tot excelsis Virtutum meritis omnes in sui Cultum trahentem. Neq;  
enim

DEDICATIO.

enim opes sunt, neque honores, quas in hac Clientela quæro, ad quorum utrosque plurimum potest *Character* iste *Tuus Sublimis*, sed sola *Gratia Tuæ* perennitas. Quâ potissimum fretus, cum præsentem introductionem meam ad Philosophiam Aulicam multorum adversariorum censuræ publicæ submittere ausus fuerim, accipe eandem **ILLUSTRISSIME DOMINE**, *Tibi* ad contestandam servitiorum meorum devotissimorum paratissimam promptitudinem à me, eâ, quâ par est, reverentiâ, oblatam, & mihi in posterum felicitatem illam exoptatissimam non denega, ut ad dies Vitæ audiam

**ILLUSTRISSIMÆ EXCELLEN-  
TIÆ TUÆ**

*Lipsiæ instantib.  
mund. autumnal.  
1688.*

Homo fidelissimus  
**CHRISTIANUS THOMASIVS.**

**PRÆFA-**



# PRÆFATIO AD LECTOREM.

**C**onferenti conditionem præsentem  
Academiarum Germaniæ, præprimis  
in territoriis Principum Protestan-  
tium cum dignitate superiorum tem-  
porum, inter alia occurret ingens differentia  
intuitu existimationis, quam de iis fovent  
Principes ipsi, & ipsorum Proceres, ac personæ  
illustri dignitate conspicuæ. Ut enim taceam,  
olim Nobiles, Barones, Comites, Principes  
ornamento sibi duxisse, si gradibus dignitatum  
Academicarum condecorentur, quæ hodiè  
privatis ferè dedecori, sæpius impedimento  
fore censentur; rarius hodiè Personæ Illustres,  
rarissimè verò Principes in Academiis studiis  
navant operam, sed in ipsis aulis sub directio-  
ne hominum selectorum & à moribus Acade-  
micis alienissimorum, disciplinis necessariis &  
elegantibus imbuuntur. Quid quod præter  
mores Academicos & ipsa doctrina in Acade-  
miis consueta frequenter ita malè audire solet  
in

Aulis, ut pedanteriæ nomine communiter insignire soleat. Quo jure ista fiant, quæve injuria, prolixius in præsentî excutere non est animus; id diffiteri non possum, doctrinam Academicarum omninò extra culpam non esse, quoniam plurima ibidem studiosæ juventuti inculcari solent magno apparatu, quæ à majoribus ad nos translata aliorum diligens inquisitio diu jam vana atque falsa esse demonstravit, quæ nullam in societate civili utilitatem pariunt, sed potius homines ad culturam societatis hujus tranquillam reddunt ineptos, quæque adeò non nisi in spem & imò in necessitatem futuræ oblivionis juvenes discere coguntur. Quare non defuerunt hoc nostro seculo viri eruditi, qui emendationem studiorum Academicorum necessariam esse publicis in scriptis professi sunt, & jam ante aliquot annos *Abbas* quidam *Gerardus* edito specimine *Philosophiæ*, quam meditabatur, *Aulicæ* (*la Philosophie des Gens de Cour*) conatus est Philosophiam Aulæ attemperare, & inter sublimitates nimias Cartesianorum & Peripateticorum ineptias mediam viam eligere. Sed uti quidem iste Autor, ut jam alibi fusius ostendimus, quam maximè in illo scripto factum pedanticum omni judicio destitutum, & Aulis valdè exosum, spiravit, atque multos enormes naves in eo commisit; ita vel maximè id in hoc scripto desidero, quod ædificium suum arenoso loco

loco & omni fundamento destituto superimposuerit, cum absque prævia consideratione totius Philosophiæ, & omiſſa doctrina ratiocinandi, sine qua tamen omnes meditationes ſucceſſu felici deſtituuntur, ſtatim doctrinam Phyſicam fuerit aggreſſus, & de ea ſententiam ſuam declaraverit, de morali verò multa promiſerit, ſed nihil quidem, quantum ego ſcio, hætenus præſtiterit. Mea verò de Philoſophia ad Aulæ genium accommodatâ ea eſt ſententia. Ex tripartita antiquorum Philoſophiâ, Logicâ, Phyſicâ & Philoſophiâ morali, Phyſicæ non ita neceſſario indigere opinor aulicum, excepta doctrina de homine; at verò Logicâ opus habet quam maximè, quoniam ea tradere debet fundamenta ratiocinationis omnis, & intellectum ejus perficere, tum Philoſophia de moribus ſive Ethica & Politica, utpote quæ normam ipſi debent oſtendere, ſecundum quam honeſtè, jucundè, utiliter, uno verbo feliciter vivere valeat. Scio equidem & fateor, Hiſtoriam atque Matheſin etiam ad ſtudia Aulici pertinere, ſed harum diſciplinæ traditio, prout in Academiis fieri ſolet, modo non planè negligatur, non ita corrupta eſt, atque doctrina ratiocinandi & morum. Igitur tentavi in præſenti libello, anævus illos enormes Logicarum vulgarium evidenter demonſtrare, & viam ratiocinandi planam, facilem, & ſpinis ſcholæſticorum

)( )(

atque

atque carduis ( quibus equidem non habeo opus, quoniam Logica mea ponte asinorum caret ) vacuam indicare valerem , ut istis ineptiis rationi rectæ adversis, purgatâ disciplinâ nobilissimâ, in posterum fortè nauseam minorem sentiant Aulici munditiæ assueti, super studiis Philosophicis. Inscipsi verò hunc librum meum, *Introductionem ad Philosophiam Aulicam*, quia non tam ipsa præcepta ratiocinandi continuo nexu trado, ( quæ admodum pauca futura essent, & vix plura, quam, quæ Epicurus in sua Canonica jam observavit; ) quam ipsos errores qua Cartesianorum, quâ Peripateticorum ostendo. Adeoque volui simul falsitatem doctrinæ communis perspicue deducere, & ita introductionem hanc meam primariò in usum docentium dirigere, ut cognoscat, me non sine gravibus rationibus à doctrina consueta recessisse, neque adeò ex studio innovandi hanc operam suscepisse. Discentium enim & maximè Aulicorum tanti non inter est, scire errores aliorum, si modò ipsi in vera doctrina rectè informentur, unde poterit facile quis præcepta pauca à controversiis separare & parvo temporis spatio prudentiam ratiocinandi, in qua alias multiplici modo sudare cogitur Juventus, auditoribus suis inculcare, Deindè vel ideò libellum hunc *introductionem* appellavi, & *prolineis* saltem *primis* venditavi, quia ut vides

tantum

tantum pagellæ hæ primas quasi lineas continent operis multò majoris, & summaria ferè ejusdem. Quæ propterea in lucem publicam emissi, quod probè gnarus imbecillitatis humanæ faciliè evenire potuerit, ut etiam si totus incubuerim in investigationem veritatis, & præjudicia sequestranda, tamen præteriverim aliquam veritatem, aut loco ejusdem falsum arripuerim. Putavi igitur, convenientius esse si de ejusmodi aberrationibus in tempore admonerer ab aliis veritatis amatoribus, ut in fusiore deductione hujus doctrinæ ea, quæ clarius & distinctius fortè cogniturus essem, emendatius etiam ponerentur. Quare obligabunt me omnes atq; singuli sapientiæ studiosi, five Cartesiani five Peripatetici, five alii cuidam sectæ addicti sint, aut Philosophiam Eclecticam sequantur, si me fortè incautum in devia incidentem ad genuinam veritatis semitam reducere haud gravatim velint. Quam enim libertatem mihi sumsi adversus illos rationibus dissentiendi, eadem, si & adversus me utentur, lubentissimè feram. Ne verò quid dissimulem, expecto objectiones hominum eruditorum & qui hypotheses Philosophiæ antiquæ pariter & modernæ callent, non, qui per paucorum dierum taciturnitatem, aut responsionem ineptam, ad parum aptas quæstiones, titulos eruditionis, eruditione vacui, acquisiverunt, aut qui per trihorium



in superiore cathedra, discursu nihil significante, & se & Promotores suos prostituerunt. Hos enim, ut tempori, chartæ, & sibi parcere velint, modestè rogarem. Ipsos autem Proceres doctinarum, contra quas disputo in præfenti libello, persuasos velim, me ipsorum objectiones non eum in finem efflagitare, ac si per ipsos inclarescere cuperem, sed mihi perinde erit, quis futurus sit Autor monitorum adversus positiones meas proponendorum, sive clarus sive obscurus, modo argumenta ibi deprehensurus sim, menti sanæ non indigna, quia vel ab infantibus discere aliquid, jucundum existimo. Deprecor tamen objectiones merâ hypocrisi refertas, & quæ nomine divino & charitate Christiana abutuntur, ut & tales, quæ præ nimio sanctæ cujusdam Philavitæ affectu ad pertinaciter tuendas sententias evidenter falsas, rationibus utuntur, quarum inconvenientia à tyronibus etiam palpari potest. Quod potissimum ab iis mihi promitto, quibus placet defendere aliquam Philosophiam Christianam, contra quam passim in hoc libro & maxime capite secundo disputo. Neque arbitror hanc contestationem meam frustaneam esse, aut otiosam, postquam jam responsiones autoribus suis indignas expertus sum. Res paucis ita se habet. Est flosculus fragrantissimi odoris, quo hæc Philosophia Christiana delectatur, non licere Christianis fingere talia, quorum

con-

contrarium revelavit Spiritus S. Expendi hoc axioma in *Inst. Jurispr. divin. cap. 4. §. 35. seqq.* tum & quasdam objectiones, contra meam assertionem ibi defensam, discussi in *Dissertatione præmiali ibid. §. 52. p. 80. seqq.* Controversia præcipua in eo consistit. Dixi: Per fictiones intelligendas esse propositiones hypotheticas, nihilque interesse, si quis dicat: *si asinus volat habet pennas*, siue: *si homo ab initio quocunq; modo in hunc mundum esset projectus, fuisset tamen socialis.* Addo, eandem rationem esse, si quis dicat: *Si homo ab initio conditus perfectionibus concreatis caruisset, reverà fuisse miserum, neque hic quicquam categorici contineri, sed etiam manere hanc propositionem hypotheticam.* Responsum autem fuit esse inter hæc magnam disparitatem; differre enim maximè propositionem hypotheticam & abstractionem propositionis ultimæ, quod *per primam asinus maneat asinus; per hanc homo integer ab equo, quod est in proverbio, jubetur descendere in asinum, hoc est, seposita felicitate ac dignitate sua referre hominem miserum, non à Deo ad imaginem sui creatum, sed undecunq; in hunc mundum projectum.* De hoc ergo spolio quæri: *An liceat Christiano illud committere nec ne? Et omninò negandam esse quæstionem propter istud axioma Philosophiæ Christianæ.* Aut nihil intelligo, aut verborum horum malè cohærentium sensus iste est; differentiam inter propositionem hypotheticam & inter fictionem esse illam, quod prior in an-

tecedente aliquid addat subjecto propositionis e. g. Si asinus volat &c. & tum non repugnare Philosophiam Christianam; fictio verò aliquid demat eidem v. g. Si homo ab initio conditus caruit perfectionibus &c. & hanc Philosophiæ Christianæ adversari. Non credo hæcenus hanc admirabilem differentiam ab ullo Logicorum fuisse observatam. Cogita, Lector, quam grande lucrum ex ea nanciscatur vulgaris Logica. Quippe in posterum tyrones notare possunt istam observationem ad libellos suos; ingens discrimen esse inter has duas propositiones: *Si asinum involvas panno nigro & caput ad latus inclines, non multum absimilis videbitur hypocrita*, & alteram: *Si asinus ab initio sine cute fuisset conditus, non habuisset pilos*. Nam hanc posteriorem, quoniam perfectioni afininæ quid detrahat, esse fictionem Categoriæ Philosophiæ Christianæ adversam. Porro inculcatur etiam adhuc alia distinctio, quasi multum interfit sive quis dicat: *Finge hoc ita esse*, sive: *Finge per impossibile &c.* Sed profecto & hæc solum recitando exactissime refutatur. Nam quis arbitretur ullum momentum afferre, utrum quis dicat: *Finge clandestinos calumniatores esse Viros probos* utrum: *Finge per impossibile eos probos esse*. Denique in dictis Institutionibus Jurispr. divina. cap. 4. §. 42. seqq. inculcavi aliam doctrinam Philosophiæ istius Christianæ, quasi status integritatis debeat esse norma actionum huma-

humanarum in hoc nostro statu, vel ex hac ratione falsam esse, quod homini impossibile sit vel minimum gradum perfectionis ex statu integro recuperare. Obmutuit hactenus Philosophia illa Christiana. At non ita pridem magnum thesaurum Sapientiae suae aperuit. *Quasi verò, ait, improbandus sit conatus, conformandi se in moralibus homini integro, ubi eventus plenè planeque non respondeat, aut conformatio illa nulla ex parte fieri possit.* Ergo secundum hoc axioma laudandus est conatus Augustini, ratione sua mare mysteriorum sanctorum exhaurire volentis, ergo laudandus est conatus ranæ apud Æsopum, inflatu corporis sui bovi se exæquare cupientis, & in summa, omnes conatus rerum impossibilium non nisi à stultis hominibus, & ubi nova *εὐρηματα* Philosophiæ hujus Christianæ ignorant, videbuntur. Verus vero Philosophus & *γινώσκων* Lutheranus adversus ejusmodi cavillatorem, isto Poetæ

*Abluis Æthiopem, quid frustra? Ab desine! Noctis*

*Illustrare nigra nemo potest tenebras*

ipsius sanctam sapientiam impugnantem, semper se defendere poterit alio versu:

*Si desint vires; Tamen est laudanda voluntas.*

Pluribus hac de materia in præsentî præfatione non est opus, differendis potius ad aliam fortè occasionem, sicubi defensores hujus ocreatæ sapientiae in posterum gloriari pergant, quasi ora obturaverint, & ad silentium redegerint  
 diversa

diversa sentientes, aut sicubi pergant, eos, qui ipsorum sputa lingere nolunt, insidiosis calumniis apud superiores clanculum accusare. Tibi verò, Lector, uno verbo adhuc ratio reddi debet, quod nullos autores in libello nostro citaverimus. Variæ nobis fuerunt rationes, interque eas non minima, quod abstertere voluerimus eos, qui ad classem tyronum inter semidoctos pertinent, ne citatis autoribus ansam arripiant, objectiones aliquas ex iisdem non studio veritatis, sed sophisticandi causa contra nos exscribendi. Eruditi enim, & qui notitiam autorum habent, facile deprehendere poterunt, quos scriptores hic & illic ante oculos habuerimus. Quod si Deus vitam concedet, in curis secundis apparebunt citationes singulæ. Interea à plagii vitio nos liberabit, quod erronea nobis solis adscribamus, omnia recte dicta attribuentes aliis. Quinam verò illi sint, ad evitandam plagii suspicionem indicare non est necesse.

Vale.



DE  
PRUDENTIA  
COGITANDI ET  
RATIOCINANDI.

CAP. I.

De

Philosophorum Sectis.

SUMMARI A.

- |                                |                           |
|--------------------------------|---------------------------|
| <b>R</b> atio ordinis 1. 2. 3. | Gentilium Philosophia vel |
| Secta vel ante Chri-           | Barbarica vel Graca-      |
| stum natum vel post. 4.        | nica. 7.                  |
| Ante Christum natum vel        | Barbarica vel Aethi-      |
| Ante diluviana Sethia-         | 8.                        |
| norum & Cainita-               | Vel Africana. 9.          |
| rum. 5.                        | Vel Europaea. 10.         |
| Vel Post diluviana He-         | Graecanica vel Fabulosa.  |
| braeorum & Nimrodi-            | 11.                       |
| anorum. 6.                     | Vel non Fabulosa. 12.     |

A

Hac



- Hæc vel Ionica, è quâ Socrates.* 13.
- Vel Italica seu Pythagora.* 14.
- Pythagorea duratio & interitus.* 15.
- Ab Italica descendit Eleatica, cujus Sectatorem Democritum secutus aliquando Epicurus.* 16.
- Epicurea Secta.* 17. 18.
- Epicuri Scripta.* 19.
- Socratis commentatio & interitus.* 20.
- Ex Scholâ Socratis sex aliarum Sectarum capita prodierunt.* 21.
- Cyrenaici ab Aristippo.*
- Hujus Sectæ tres Rami & precipua dogmata.* 22.
- Eliaci à Phadone.* 23.
- Ab Euclide Megarici.* 24.
- A Platone Aristotelici & Aristotelici.* 25. 26.
- Academici & Epicuri.* 26. *Media.* 27.
- Secunda.* 27.
- Tertia seu Nova.* 28.
- Quarta & Quinta seu Antiochia.* 29.
- Aristoteles Sectæ Peripatetica autor.* 30.
- Corruptio Sectatorum ejus.* 31.
- Ab Antisthene Cynici.* 32.
- A Cynicis & Academicis Stoici.* 33. *Stoici vel veteres vel novi.* 34.
- A Pyrrhone Anaxarchi discipulo Pyrrhonii seu Sceptici. Philosophia vel Dogmatica vel Sceptica.* 35.
- Secta Eclectica. Aliud esse Eclecticum aliud profiteri sectam Eclecticam.* 36.
- Post Christum natam Secta vel in Ecclesia vel extra. Extra vel Judaica vel Ethnica.* 37.
- Judaica secte tres: Phariseorum, Sadduceorum & Essæorum.* 38.
- derivanda à Stoicis, Epicureis & Cynicis.* 39.
- Pharisæi à Stoicis.* 40.
- Sadducei ab Epicureis.* 41.
- Esseni à Cynicis.* 42.
- Ethnica Philosophiæ fortuna*

- tuna sub Romanis usq̄ ad tempora belli Punici secundi.* 43.
- Philosophi Romani celebres à bello Punico ad tempora Imperatorum.* 44.
- Imperatorum tempore Sectæ præcipuæ à Græcis petite.* 45.
- Pythagoræi cur Romanis exosi.* 46.
- Caracalla Aristotelis scripta abolet.* 47.
- Antoninus Pius quatuor Sectas saltem admittit.* 48.
- Philosophi Gentiles sub Imperatoribus præcipui.* 49.
- In Ecclesia Apostoli Theologiam à Philosophiâ seceverunt.* 50.
- Unde Paulus jubet cavere à Philosophiâ Gentilium.* 51.
- Hoc monitum non diu à Christianis, nec ab ipsis Ecclesiæ Patribus varias ob rationes fuit observatum.* 52.
- Patrum Ecclesiæ variatio circa quatuor Sectas præcipuas enumerata.* 53.
- Placuit Patribus præ Sectâ Aristotelicâ & Epicuræ, maximè Platonica & aliquibus Stoica, sic tamen ut non seponeretur Ecclesiæ.* 54.
- Rationes, quibus se insinuarunt Patribus Stoica & Aristotelicâ Sectâ.* 55.
- Recensentur Patres ob Philosophiam celebres.* 56.
- Mixtura Philosophiæ cum Christianismo occasionem dat Heresibus.* 57.
- Hereses præcipuæ ex quibus Philosophorum Sectis oriunde.* 58.
- Philosophia à Græcis & Romanis migrat ad Arabes, & ab his in Hispaniam transfertur.* 59.
- Hispani & Arabes, potissimum*



- simum Aristoteli erant additi. Avicenna & Averroës. 60.*
- Inter Christianos Barbaries usque ad tempora Scholasticorum. 61.*
- Primi Scholastici. Eorum tres classes. 62.*
- Vetus, Consentiens. 63.*
- Media Albertistas, Thomistas & Scotistas proferens. 64.*
- Nova, in quâ nova Secta Occamistarum. 65.*
- Nominalium & Realium historia. 66.*
- Stultitia Scholasticorum tempore reformationis. Eorum adversarii. 67.*
- Jesuitæ Aristotelici. Cur orthodoxi Philosophiam Aristotelicam & Scholasticam tam anxie rimentur. 68.*
- Cur adeò in Academiis Protestantium contra intentionem Lutberi & Melanchthonis hætenus Philosophia Aristotelica tyrannidem exercuerit. 69.*
- Divisio Sectarum Peripateticarum hodiernarum. 70.*
- Non Peripatetici vel alios duces sequuntur vel novas sectas instituerunt. 71.*
- Renovatores Platonismi, Stoicismi, Epicureismi, Pythagoræismi & Scepticismi. 72.*
- Novarum Sectarum auctores vel circa Philosophiam rationalem, vel naturalem, vel moralem occupati. 73.*
- Circa rationalem Petrus Ramus, unde Ramista. 74.*
- Item Renatus des Cartes. 75.*
- Unde Cartesiani, qui multis modis ita dicuntur. 76.*
- In Philosophiâ naturali dissensere plures. 77.*
- Sectas verò præcipuas faciunt*

- ciunt iterum Cartesiani. 78.
- Et Chymici. 79.
- In Politicis sectas fecerunt Machiavellus. 80. de cujus sectatoribus. 81.
- Et Monarchomachi. 82.
- Defectum totius Philosophia Moralis Aristotelica supplere infeliciter aggressi Moralista. 83.
- Cum majori iudicio, Hobbes, Grotius & Pufendorffius. 84.
- Comparatio quatuor sectarum potissimarum hodiernarum in Philosophia morali inter se. 85.
- Syncretista Philosophici. 86. 87.
- Hostes Philosophia. 88.
- Secta vox strictè accepta excludit Pyrrhonios, Eclecticis, Syncretistas, Hostes Philosophia. 89.
- Comparatio Philosophia Sectaria & Eclectica. Definitio Philosophia Eclectica. 90.
- Incommoda Philosophia Sectaria. 91.
- Commoda Philosophia Eclectica. 92.
- Præstantissimi Philosophi Eclectici. 93.
- Responsio ad objectam difficultatem Philosophia Eclectica. 94.
- Philosophia hac adultis commendanda. 95.
- Sectaria cur olim in Academiis introducta. 96.
- Sectariorum frequentia & comparatio. 97.
- Responsio ad objectam mutabilitatem Philosophia Eclectica. 98.



§. I.

Ntequam tractationem ipsam incipiamus, videndum ante omnia, quid sit *Prudentia*, quid item *Cogitatio* & *Ratiocinatio*.

§. 2. *Prudentia* ad Philosophiam pertinet, quare & de hac præmittenda tractatio partim historica de *Sectis Philosophorum*, partim doctrinalis de *Philosophia in genere*.

§. 3. *Sectæ Philosophorum* infinitæ fuerunt, nos saltem enumerabimus potissimas.

§. 4. Possunt non incommodè dividi in eas; quæ viguerunt *Ante Christum* natum & quæ *Post*. *Priores* sunt vel *Ante diluviana* vel *Post diluviana*.

§. 5. *Ante diluvium* ADAMUS post lapsum sanam ac sobriam Philosophiam docuit liberos suos, quam mox corrupit CAINUS, unde statim duplex Secta fuit orta, *Sethianorum* seu filiorum DEI & *Cainitarum*. Ex Sethianis præ reliquis inclaruerunt HENOCHUS & MATHUSALA, ex Cainitis ingeniosissimus fuit LAMECH. Videtur autem per Cainitas successu temporis corrupta simul esse tota Sethi posteritas, excepto unico NOACHO & ejus familiâ usque dum impia schola Caini diluviô deleteretur.

§. 6.

§. 6. *Post diluuium* NOACHUS genuinus restaurator sapientia divina pariter atque humana extitit, & ab ejus liberis Philosophia propagata fuit; verè a SEMO, corruptè à CHAMO, qui Philosophiam Cainiticam diluio sepultam iterum protraxit in lucem, Inter Semi posteros excelluit HEBER, & ex Chami progenie NIMROD, unde nomina novarum Sectarum *Hebræorum & Nimrodianorum*, inque societatem Chami & *Japhetii* quoque, ac Nimrodi potissimum tempore, etiam *Semite* concesserunt. Illustres tamen nonnulli ex iis Viri de viis relictis in viam redierunt, ut ABRAHAMUS & MOSES princeps veræ & Judaicæ Philosophiæ. Nonnulli puram Philosophiam inter Nimrodianos propagarunt, ut ISAACUS, JACOBUS atque Doctor Ægyptiorum JOSEPHUS.

§. 7. Uti igitur tum temporis penes *Judeos* fuit pura Philosophia & summum fastigiū attigit in SALOMONE, quamvis & ipsa sæpius à falsa Philosophia fuerit adulterata; ita *Gentilium* Philosophia non incommodè dividi potest, in *Barbaricam & Græcicam*, etsi de alterutrius præ alterâ antiquitate litem nostram non faciam⁹.

§. 8. *Barbarica*, quæ nempe extra Italiam & Græciam resplenduit, est vel *Asiatica*, vel *Africana* vel *Europæa*. *Asiatica* Chaldæorum fuit, Babyloniorum item, Assyriorum, Persarum, Indorum, Phœnicum. *Indos* Philosophiam

docuere *Gymnosophista*, qui vel *Brachmanes* vel *Germanes*, interque *Germanes* quidam dicti *Hylobii*, quia in sylvis vivebant, quibus alii addunt *Samaneos* & *Calanos*.

§. 9. *Africana* est vel *Ægyptiaca*, vel *Æthiopica*, vel *Lybica*. *Ægyptii* sapientiam suam ab ABRAHAMO, *Æthiopes* à *Gymnosophistis* Indorum, ut & multa à MOSE hauserunt. *Lybica* Philosophia fertur propagata esse ab ATLANTE.

§. 10. *Europæa* fuit Thracum & Gallorum. *Thracæ* à ZAMOLXI sua petierunt & successu temporis dicebantur *Orphici*. *Celtæ* vel *Gallos* Philosophiam docuere *Druide* & *Semnothei*.

§. 11. Philosophia *Græcica* in *Fabulosam* & *Non Fabulosam* dividi potest. *Fabulosa* sive *Poëtica* est verustissima, in qua MUSÆUS, LINUS, ORPHEUS, HESIODUS, & qui primò locò nominandus erat, HOMERUS se exercuerunt, sapientiæ cujuscunq; præcepta fabularum involucris exhibentes. Unde *Mythica* dicta fuit, estque vel *Naturalis* vel *Moralis* vel *Politica*. *Illa* naturæ arcana Deorum Dearumque nominibus; *Ista* virtutum studia & vitiorum vitationem commentis de Cocyto, Phlegetonte, Tartaro, campis Elysiis. &c. *Hæc* prudentiæ doctrinam gestis Heroum involvebat. Philosophiæ huic mythicæ proximè accedunt ex nostratibus scripta, quæ *Romantii* appellantur, elegantiora puta, qualia sunt: *Hercules*, *Aramena*, *Octavia* &c.

§. 12.

§. 12. *Non fabulose* antiquitus duæ erant sectæ præcipuæ, *Ionica & Italica*, ex quibus reliquæ propagatæ sunt. Et communiter quidem Ionica habetur pro antiquiore.

§. 13. *Ionica* cœpit à THALETE Milefio, qui unus & primarius ex septem Græciæ sapientibus fuit, vel, ut alii probabilius, ab ANAXIMANDRO Milefio, Thaletis discipulo, cui successit ANAXIMENES, huic ANAXAGORAS, Anaxagoram verò audivit ARCHELAUS, qui primus memoratur ex Ionia Philosophiam Athenas transtulisse & Magister fuit SOCRATIS.

§. 14. *Italica* autor est PYTHAGORAS, Crotoniates, à quo etiam Philosophia nomen cepit. Hic multa hausit à Thracibus, Ægyptiis, Persis, Phœnicibus, Chaldæis, Indis & Judæis. Præceptore usus fuit PHERECYDE Syrio & in Creta cum EPIMENIDE discendi studio versatus est. Sectatores Pythagoræ à variis variè recensentur. Alii TELAUGAM filium eidem subjiciunt, huic XENOPHANEM autorem Sectæ *Eleatica* successisse perhibent. Alii ARISTÆUM Crotoniatem Pythagoræ successorem fuisse asserunt, post quem MNEMARCHUM, inde BULAGORAM, porro TYDEM Crotoniatem, denique DIODORUM ASPENDIUM memorant, cujus ultimi tempore & alii Philosophi Pythagoræi, ut XENOPHILUS Chalcidensis ex Thuria, & PHANTO Philasius & ECHECRATES & DIOCLES & PO-

EYMNASTUS, (& ipsi Rhylasii) floruerunt. Rur-  
sus alii à Pythagora & Italica secta Platonem  
& Aristotelem deducunt, interque ejus asse-  
clas uxorem Pythagoræ THEANO, item  
EMPEDOCLEM Epicharmum, ALCMÆ-  
ONEM Crotoniatem, HIPASUM Meta-  
pontinum, & PHIOLAUM memorant.

§. 15. Duravit hæc secta circiter ducentos  
quingenta annos, attingens tempora  
*Platonis & Aristotelis*, ubi scholæ Pythagoricæ à  
Crotoniensibus, cum frequenter inter se  
convenirent, & ex lege tamen disciplinæ  
suz de secretioribus negotiis ac doctrinis  
suis omnes alios excluderent, ex vana su-  
spicione & metu, (an potius ex odiô, invi-  
diâ & calumniâ aliorum, quasi cœtum clan-  
destinæ conjurationis haberent) incendio  
extirpatæ sunt, elapsis tantum ARCHIPPO  
& LYSIDÆ. Reliqui etiam, excepto ARCHY-  
TA, & aliis paucis, ex aliis Italiæ urbibus  
ejecti, aut sponte sua exules facti, & ita  
dispersi, humanam societatem averfabantur,  
quem interitum non parum adjuvit ortus  
Philosophiæ Platonicæ atque Aristotelicæ.  
Fuerunt tamen & in subsequenti seculis,  
etiam post Christum natum nonnulli, quam-  
vis pauci, qui umbram Philosophiæ Py-  
thagoricæ retinentes, ab istâ sectâ denomina-  
tionem acceperunt.

§. 16.

§. 16. Ab Italica secta descendit *Eleatica*, cujus autor fuit XENOPHANES Colophonius quamvis ipsa secta à discipulis demum ejus PARMENIDE & ZENONE, Eleatis, nomen fuerit sortita; Xenophanem siquidem audivit, PARMENIDES, MELISSIUS & ZENO Eleates, Zenonem LEUCIPPUS atomorum autor, à quo eos accepit DEMOCRITUS, à Democrito EPICURUS.

§. 17. Itaque mediante Eleaticâ ex Italicâ etiam derivari potest *Epicurea* secta ab autore *Epicuro* cognominata. EPICURUS autem nulli Philosopho ante se doctrinam suam adscribere voluit, sed sapientiæ fiducia fretus, se solum Philosophiæ genuinæ autorem; ac suos solum pro Philosophis habuit, magnique semper à Sectatoribus suis fuit habitus, & ipsius Philosophia multo celebrior fuit quam cæterorum. Adeoque deficientibus sectis aliis diu perstitit Epicuri schola, semper succedentibus aliis atque aliis, inter quos nulla fuit discordia nec transitus ad alias sectas.

§. 18. Eos inter potissimum memorandi MUS Epicuri servus, HERMACHUS, CELSUS EPICUREUS, ZENO EPICUREUS, LUCRETIUS, LUCIANUS, PETRONIUS ARBITER, POMONIUS ATTICUS, TREBATIUS, VIRGILIUS, HORATIUS, PROPERTIUS.

§. 19. Plurima scripsit Epicurus, sed omnia



omnia ejus deperierunt præter ternas epistolas compendium totius ejus Philosophiæ continentes, quas nobis conservavit LAERTIUS.

§. 20. Reliquæ Sæctæ omnes ex Schola SOCRATIS provenerunt, quem supra in Ionicâ retulimus, unde & Græcis scriptoribus hinc inde primus sæctarum autor dicitur, & Socratici crebro priscis pro Philosophis fuerunt usurpati. Erat vir acutus, festivus, laborum tolerans, non tam præceptis quàm exemplo docens, quem & Lactantius cæteris non paulò cordatiorem fuisse concedit, & veteres Ecclesiæ Patres passim honorificè de eo senserunt. Utebatur Dæmone familiari, ex cujus præscripto omnia agebat. Tandem ex odio aliorum accusatus, quòd corrumpere juvenutem per cicutæ sorbitionem necatus est.

§. 21. Ipse monumenta ingenii nulla reliquit. Ex ejus verò discipulis arctè Magistro adhæserunt *Xenophon* & *Eschines*. Ex reliquis, sex memorantur novarum sæctarum conditores, ARISTIPPUS, unde *Cyrenaici*, PHÆDO, unde *Eliaci*, EUCLIDES, unde *Megarici*, PLATO, unde *Academici* & *Peripatetici* ANTISTENES, unde *Cynici* & *Stoici*, & ANAXARCHUS, unde *Pyrrhonii*, seu *Sceptici*.

§. 22. *Cyrenaici* ab ARISTIPPO Cyrenai-  
CO

co appellati in tres hæreses iterum divisi sunt, *Theodorianam, Hegesiacam & Anniceriam*. Commendabant voluptatem corporis, & utilitatem humani generis ab utilitate quotidiana singulorum metiebantur.

§. 23. *Eliaci* à PHÆDONE Eliensi dicti appellantur & *Eretrici* à MENEDEMO Eretrico auditore PLISTANI Eliensis, qui Phædonem audivit.

§. 24. Ab *Euclide* Megarico maximâ estimatione Socratem profecuto, descendunt *Megarici*, postea ob captiosas argumentationes *Eristici & Dialectici* vocati. Eminuerunt inter eos EUBULIDES Milesius, CLITOMACHUS Thurius, STILPO Megarensis, ALEXINUS Eliensis, APOLLONIUS Cronus & DIODORUS Cronus.

§. 25. Plato doctrina omnigena instructus Philosophus fuit, quam non solum ex *Socratica* schola, sed & ex *Pythagorica & Heraclitica* (ab HERACLITO Ionicæ sectæ philosopho, omnia flente, ita dicta) hausit ac pro diversis Philosophiæ partibus eas secutus est.

§. 26. Ex discipulis ejus potiores fuerunt SPEUSIPPUS Atheniensis Platonis ex sorore nepos, XENOCRATES Chalcedonius & ARISTOTELES Stagirites, quorum ultimus novæ sectæ autor, priores Platoni in *Academia* successerunt. *Xenocrati* successit POLEMO

LEMO Atheniensis ; Polemoni discipuli ejus CRATES Atheniensis & CRANTOR Solensis, quorum scholæ, quod Platonis vestigiis insisterent, sub nomine *Veteris Academiae* communiter scriptoribus veniunt.

§. 27. Præter hanc enim & *Media* & *Nova*, & post has à nonnullis *Quarta* & *Quinta Academia* memorantur. Cum enim Socrates & Plato in utramque quidem partem disputare fuerint soliti, sed in multis tamen certi aliquid definiverint, ARCESILAS seu *Arcesilaus* Crantoris Solensis discipulus dictò Socraticò, qui sæpius profitebatur, *se nihil scire, nisi hoc unicum, quod nihil sciret*, abusus, omnia in comprehensibilia esse defendit, & sic *secundæ seu mediæ Academiae* autor factus est, ipsi verò successit LACYDES CYRENEUS, quem Novæ Academiae autorem falso Laertius facit, si Tullium, Clementem, Empiricum aliosque audias. Lacydæ successit TELOCLES & EVANDER, Evandro HEGESINUS Pergamenus secundum Laërtium, qui est Clementi *Hegesilaus*.

§. 28. Ut verò *Media Academia* à rebus ipsis tollebat verum, ita Hegesino successit CARNEADES Cyrenæus, qui quidem fassus est aliquid verum esse aut falsum, sed negavit in nobis facultatem verum & falsum certò judicandi, concessit tamen, multa esse probabilia,

bilia, ac propterea *Tertia* seu *Nova Academia* autor fuit, quæ mox in CLITOMACHO Carthaginensi, qui post Carneadem docuit, expiravit.

§. 29. *Quarta Academia* est à PHILONE & CHARMIDA Clitomachi successoribus. *Quinta* ab ANTIOCHO Philonis auditore. Et *Quarta* quidem propius accedebat ad veterem, quam Carneades, permittens videlicet ut sapiens opinetur, & quædam etiam comprehendi posse aiebat, sed non tam certò, ut nihil omninò obduci possit. *Antiochia* autem secta veterem planè restauravit, nisi quod in veri Κεϋνησιω Antiochus re ipsa Stoicus & nomine saltem Academicus esset.

§. 30. Inter Platónis auditores recensuimus etiam ARISTOTELEM. Hic novæ sectæ *Peripateticorum* autor magnâ diligentîâ Philosophiæ studio incubuit multam à doctrinâ Platónis, quem & sæpius refutat, recedens, commendatus tamen ab ingeniò & doctrinâ passim ab antiquis, magnum numerum *librorum* reliquit, quorum alii sunt *acroamatici*, alii *exoterici*.

§. 31. Successorem reliquit THEOPHRASTUM Lesbium, quem ipse præ EUDEMO Rhodio moriens elegit, qui circiter bis mille auditores habuit. Quamvis autem post Theophrastum, ut præcipui, memorari soleant STRATO Lampfacenus & DEMETRIUS Phale-

Phalereus, Stratonis item discipulus, LYCON Troadensis, Lyconis ARISTOCËus, hujus CRITOLAUS Phaselites, Illius DIODORUS; notarunt tamen alii post Theophrasti mortem, multum remisisse Græcos de ἀνεβεία Aristotelis, adductos videlicet ad inanem verborum & infinitas lites. Hinc pauci libros Aristotelis curabant, maxima pars eos negligebat, aut solis exotericis erat contenta. Unde factum, ut plurimi ex libris Aristotelis intercederint, aut corrupti fuerint, in tantum, ut RAMÆI omnes, qui supersunt, pro supposititiis habeant.

§. 32. Redeo ad ANTISTHENEM, qui in Gymnasio docebat, quod κυνος ἀγωγὴς appellabatur, unde sectatores ejus dicti *Cynici*, vel à canis aut virtutibus aut vitiis. Antisthenem audivit DIOGENES Sinoponensis, hunc MONIMUS Syracusanus, ONESICRITUS & CRATES Thebanus. Cratetem audire uxor ejus HIPPARCHIA, frater hujus METROCLES, MENIPPUS Phœnicus & ZENO Citicus. Omnia faciebant in propatulo, quæ non repugnarent legibus.

§. 33. ZENO Citicus & *Cratetem* Cynicum & *Polemonem* Academicum audivit, quorum uterque, ut ex dictis patet, à Socrate descendit, quare non mirandum, quod secta Zenonis modò à *Socrate*, modò ab *Academicis* derivetur, modò à *Cynicis* descendere dicatur. Quoad  
doctri-

doctrinam convenit cum Cynicis, sequestratâ solum eorum impudentiâ, quod ab Academicis haufit. Non convenit verò cum Academia Mediâ & Novâ, uti nec cum Peripateticis. Sectatores ejus *Zenonii & Stoici* dicuntur à porticu, in quo Zeno docebat.

§. 34. Successores ejus fuerunt CLEANTHES Assius, post CHRYSIPPUS, inde DIOGENES Babylonius, tum ANTIPATER, porro PANÆTIUS & POSIDONIUS &c. Distingvuntur ab aliis in *Veteres & Novos*, quorum illi magis acuti, hi magis Politici. *Quin* & inter se discordes, alii *magis alii minus Stoicos* se profitebantur. Inventus etiam in ipsa Zenonis schola, qui peculiarem sectam moliretur, ARISTO Chius, quæ tamen mox iterum interiit.

§. 35. ANAXARCHI discipulus erat PYRRHO, novæ Sectæ *Pyrrhonorum* seu *Scepticorum* autor, originem ex eodem dicto Socratis suprâ recensito, sumentis, & adeò ab Academia Media omninò non differentis, nisi quod Academici assererent, illud se comprehendere, quod nihil possit comprehendere; Pyrrhonii verò ne illud quidem comprehendere dicerent, quod ajebant, unde non tam sectam Philosophorum constituerunt Sceptici, quam hostes communes omnis Philosophiæ, quæ ab aliqua determinatione incipit (& propterea à Philosophis *Dogmatica* ad differentiam *Scepticæ* dici solet)

B

solet)

folet) fuerunt. Quare & nihil penè de ipforum scriptis restat nisi quòd memorentur TIMONIS PHILASII *Silli*, h. e. vituperationes philosophorum, quamvis Laërtius & HOMERVM & septem *Gratia Sapientes* pro Pyrrhoniis etiam jactitet, sed maximè improbabiliter.

§. 36. Restat Secta *Eclectica* seu *Electiva*, si modo Nova Secta dicenda est, quæ non condit nova dogmata, sed ex aliis sua excerptit, & ex omnium Philosophorum sectis flores legere jubet. Ejus autor POTAMO Alexandrinus, qui ante, & post Augustum vixit. Sed quomodo? Cùm penè omnes præcedentium sectarum autores, potissimum verò *Zeno* Cithicus, *Plato*, *Pythagoras* &c. fuerint Eclectici, h. e. à præceptoribus suis, quos sæpe diversarum sectarum habebant, optimum retinentes, & reliqua secundum ductum propriæ rationis addentes, quod maximè Eclecticorum est. Ita verò puta: Primus Potamo inculcavit, quod per electionem philosophandum sit, ac publicè id professus est, non adstringens adeò auditores suos, ut ipsius tradita custodirent. Reliqui, etsi per electionem propria dogmata ceperint, eadem tamen, ut sola veritati convenientia transmiserunt ad suos. Ita differt *Eclecticum esse & sectam Eclecticam profiteri*.

§. 37. Sequitur, ut videamus de Philosophorum sectis *post Christum natum*. At hæc quidem partim *in Ecclesia Christiana*, partim *extra-*

RAN-

*eandem* quærendæ. Non tamen novæ erunt facile expectandæ, sed veterum continuationes. *Extra Ecclesiam* dispiciendum de Philosophia *Judaica & Ethnica*.

§. 38. Apud Judæos floruerunt potissimum tres sectæ: *Phariseorum, Sadduceorum, & Essæorum*, quarum ortus refertur ad tempora Johannis Hircani filii Simonis, quamvis & ante illa tempora sub templo secundo multum eorum Philosophia fuerit corrupta, partim à Magis Persarum & Assyriorum, quorum non pauci cum coloniis Assyriorum in Samariam missi. Deinde cum Imperio Græco ipsa quoque Philosophia Græca in Judæam propagata fuit.

§. 39. Tres istæ sectæ videntur commode deduci posse ex Sectis *Cynicorum Stoicorum & Epicuræorum*: cum *Peripatetica* secta ferè tam fuerit extincta nisi quòd Aristobulus ut insignis Peripateticus, commendetur.

§. 40. *Pharisei*, præcipua Judæorum secta proximè accedebat ad *Stoicas*. Nam & vitæ austeritate & dogmatum vicinia iis affines erant, nisi quòd metempsychosin à *Pythagoricis* videantur hausisse, quo pertinet opinio Herodis, quod Johannes in Christo revivixerit, & quæstio Johanni proposita, an sit Elias?

§. 41. *Sadducei* ita dicti à ZADOKO *Antigoni* discipulo, erant homines rigidæ vitæ, & Epicurei. Unde providentiam divinam negabant & resurrectionem.



§. 42. *Esseni* multò *Pharifæis* excellentiores esse volebant, & vel soli *Philosophorum* titulum inter *Judæos* merentur, quod altius & subtilius specularentur omnia. Hos quamvis *EUSEBIUS* sine *Græca* doctrina ex *Philosophia* *Mosaica* ortos esse asserat, videntur tamen proximè accedere ad *Cynicos*.

§. 43. De *Ethnica* *Philosophia* dispiciendum, qualis ejus fortuna fuerit sub imperio *Romanorum*. Inter *Romanos* *Numa Pompilius* præter studium belli animum ad pacis artes adjecit, religioni & sapientiæ incumbens, ac utriusq; præcepta literis consecrans, cum ipso tamen non solùm sepultis, sed & diu post, cum à fossoribus fortuito repertæ essent, iis, quæ ad sapientiam pertinebant, publicè combustis. Ergò *populus Romanus* bello magis deditus ruditer *Philosophiam* coluit fere contentus, quod *leges 12. Tabul.* pueri in *Scholis* edicerent usque ad tempora belli *Punici II.* ubi paulatim & ipsa *Græcia* à *Romanis* devicta, ad victores transtulit ardorem plura sciendi, quamvis *Græca* *Philosophia* à quibusdam *Romanis*, ut callida magis, quam ad virtutem apta contemneretur. Quin & his initiis *Romani* tradita *Græcorum* omnia ad artes regnandi applicabant, omisissis vanis litigiis, quæ faciebant *Sectas*.

§. 44. A temporibus belli *Punici* usque ad tempora *Imperatorum* præcipui *Philosophorum* *Romanorum* fuerunt sequentes; *ENNIUS*

*Pytha-*

*Pythagoreus*, MARCUS ACCIUS PLAUTUS in philosophia peritissimus, MARCUS TERENCEIUS VARRO Philosophiæ græcæ, *Platonice & Aristotelice* callentissimus, quamvis & alii *Stoicis* eum accenseant, LUCRETIUS CARUS *Epicureus*, MARCUS CATO MAJOR dictus, & Sapiens cognominatus. MARCUS PORTIUS CATO Philosophus *Stoicus*. CAJUS JULIUS CÆSAR eximius Philosophus & præprimis disciplinas Mathematicas sectatus. POMPEJUS MAGNUS *Stoicorum* auditor diligens. VIRGILIUS MARO egregius in omni Philosophia, in vita extrema Philosophiæ Epicureæ maximè deditus. QUINTUS HORATIUS FLACCUS Philosophus *Ecclesiasticus* primum in *veteri Academia* nutritus & horum loquendi formulas imitatus. *Peripateticos* sequitur in doctrina virtutis, *Stoicos* in definiendi modo, & usu argenti & *ἀνταρξεία*, in descriptione viri boni, in doctrina de peccatorum æqualitate; *Epicuros* in negatione providentiæ, in vitæ fine & usu amicorum: Tum passim etiam sectarum ineptias stringit. Præceteris tamen memorandus CICERO, quem qui negat Philosophum fuisse, necesse est, ut neget se esse hominem. Fuit autem præprimis *Platonice & Academicus*, sed & *Aristotelem* magni fecit & *Stoicos* in libro I. de Lege & de Officiis imitatus est. Ino verbo fuit verus *Ecclesiasticus*, quod doceret ex assè, si hodie extaret,

ejus Hortensius. Neq; omittendus est Cicero-  
nis intimus POMPONIUS ATTICUS *Epicu-  
reus*.

§. 45. *Imperatorum tempore* Philosophia Ro-  
manorum mox degeneravit in Sectas, servitu-  
te videlicet ingeniorum libertatem amissam  
mox in sequente. Igitur tum sæpius audita no-  
mina *Stoicorum, Epicureorum & Platoniorum*, rari-  
us *Peripateticorum* & aliis sectis addictorum.  
Cæterum tamen credo memoriam pristinæ li-  
bertatis ingenuis quibusdam Romanis ansam  
dedisse, ut Philosophiam *Eclēdicam* sequerentur.

§. 46. Præcæteris verò omnibus Impera-  
torum tempore secta *Stoica* celebrior & fre-  
quentior erat, & *Pythagoræorum* maximè exosa  
tanquam quæ Magiam Philosophiæ jungeret.  
Quare etiam non solum ab AUGUSTO Philo-  
sophi Pythagoræi Româ pulsi, sed & eo potissi-  
mum intuitu aliquoties Philosophi omnes &  
Mathematici ex Italia ejecti sunt. Inprimis  
tempore CAJÏ CALIGULÆ, NERONIS, (qui  
tamen & ipse magiæ nimium studiosus postea  
eos revocavit) & DOMITIANI.

§. 47. Notandum insuper, quod BASSIA-  
NUS CARACALLA obstultam persuasionem  
omnia *Aristotelis* scripta voluerit abolere,

§. 48. Simul verò ratio non obscura red-  
ditur, cur ANTONIUS PIUS publice non  
nisi has quatuor Philosophorum Sectas admi-  
serit,

ferit, *Platonicos* puta, *Stoicos*, *Epicureos* & *Peripateticos*, quod edicto tamen *Electicos* non fuisse exclusos arbitror.

§. 49. Itaq; ex illo tempore potissimum enumerandi sunt AREUS, cujus contubernium inivit Augustus Imperator, ANAXILAUS LARISSÆUS & NIGIDIUS FIGULUS *Pythagorici*, ANNÆUS CORNUTUS *Stoico*, MUSONIUS, SOCION Senecæ Magister *Electicus* magis quam *Stoicus*, AMMONIUS Plutarchi præceptor & ipse *Electicus* SENECA *Stoica* philosophiæ acerrimus sectator & acutissimus; PLUTARCHUS peripateticæ Philosophiæ amator, vel si mavis, *Electicus*; PLINIUS sagacissimus naturæ explorator, CAJUS CELSUS, qui de omnibus ferè disciplinis eruditè scripsit, Philosophus *Epicureus*, SECUNDUS *Pythagoricus*, APULEJUS, maximam partem *Platonicus*, qui ex parte tamen *Aristotelem* & *Pythagoram* secutus est, MAXIMUS TYRIUS *Platonicus*, LUCIANUS *Scepticus*, APOLLONIUS TYANÆUS magus insignis & summus æmulus *Pythagora*, EPICETUS *Stoicorum* maximus, NUMENIUS *Pythagoricus*, ALEXANDER APHRODISÆUS, ita *Aristotelicus*, ut olim nemo Aristotelici nomem consequi potuerit, qui Alexandrejus non haberetur (ut prope peculiarem Sectam *Alexandrejorum* constituerit) AMMONIUS, & ipse commentator *Aristotelis*, qui tamen Philosophus Christianus habetur, PLOTINUS Ammonii discipulus *Platoni* ex æsse similis, sed & qui *Aristotelicam* Philosophiam & *Pythagoricam* magni faceret,

unde meritò Eclecticis adscribetur. PORPHYRIUS Plotini & Amesii discipulus *Platonica* & *Pythagorea* sectæ deditus. JAMBLICHUS Porphyrii discipulus *Platonicus* & ipse, sed qui simul de vita *Pythagoræ* commentatus est. PROCLUS Lycius *Platonis* commentator ejusque cum *Pythagora* conciliator. BOETIUS Consul Romanus, qui primus inter Romanos in *Aristotelem* commentatus est. SIMPLICIUS commentator *Aristotelis*.

§. 50. In *Ecclesia Christiana* ex schola Christi veræ sapientiæ restauratoris orti Apostoli Theologiam in universo orbe propagaverunt, eamque hæcenus cum Philosophiâ confusam, ab eâdem secreverunt. Rejiciebant omnes contentiones, sectas, logomachias, fucum, ostentationes, ac propterea ethnicam Philosophiam, ut nullius bonæ frugis summè detestabantur.

§. 51. Pertinet huc maximè admonitio PAULI *ad Col. 2. v. 8.* Et quòd Philosophiam vocet *Φευδάνυμον γνώσιν* 1. *Tim. 6. v. 26.* Quamvis enim non improbabiler à quibusdam afferatur, Paulum per *Philosophiam* intelligere doctrinam Essæorum & reliquarum sectarum Judaicarum, (etsi sine fundamento ab aliis intellectus fuerit de *Philosophia* in genere) tamen non incommodè etiam applicari poterit ad *Philosophiam gentilium*, quoniam istas Judæorum sectas inde ortum duxisse supra demonstravi-

stravimus, & quoniam gentilium Philosophia, ut infra videbimus, miscebat Theologiam cum Philosophia, contra quam confusionem potissimum disputat Apostolus, ut qui ipse cum aliis viris sanctis illius temporis Philosophiæ non erat ignarus.

§. 52. Sed non perpetuò istud monitum Apostoli fuit observatum, cum & *primitiva Ecclesiæ Patres ipsi* & Christiani reliqui *Philosophia Græcorum* plus justò fuerint dediti, & quidem ob rationem non unam. Alii enim ex gentilismo ad Christianismum conversi Philosophiam, quam attulerunt, incauti retinere: Alii ad refutandos gentiles Philosophos, qui subinde se Christianis opposuerunt, & ipsos ignorantia in Philosophia accusabant, animum ad philosophandum veterunt: Alii ab hæreticorum argumenta dissolvenda Philosophia ethnicorum usi sunt.

§. 53. Cæterum quoniam, ut supra diximus, ANTONINUS PIUS quatuor saltem sectas tollerabat, *Stoicam, Platoniam, Aristotelicam & Epicuream*, inde non mirandum, quod sæpius Patres *quatuor sectas Philosophorum* tanquam præcipuas memorent, aut earum enumeratione, quod pro præcipuis illas habeant, ostendant, quamvis in earum recensione varient, ita ut alii, quas recensuimus modò retineant, alii loco *Aristotelicorum* substituant *Pythagæros*, alii hos in locum *Platonicorum* memorent,

rent, & *Epicuri* sectam ut indignam divul-  
lant à reliquis; alii *Epicureorum* defectum sup-  
pleant per *Pythagoræos*, alii omittant *Aristotelicos*  
& reliquas saltem sectas sub initium Christia-  
nismi floruisse memorent.

§. 54. Ex istis autem quatuor sectis *Stoica*  
& *Platonica* præ *Aristotelicâ*, tanquam contem-  
pta, & *Epicuræâ*, tanquam Stoicis & Platonis  
maximè exosâ, sibi conciliavit Patres Ecclesiæ,  
potissimum vero *Platonica*. Cui tamen sic dede-  
runt operam, ut & ex aliis Philosophis verum  
excerperent, ut ita non mirari debeas, si vide-  
as afferi, plerosq; Patrum fuisse *Eclecticis*, quam  
sectam expressè profitetur CLEMENS ALE-  
XANDRINUS & commendat LACTAN-  
TIUS, quare & quandoque *Aristotelem* à Patri-  
bus laudatum reprehendes. Neque ergò puta-  
bis, Patribus, dum Platonismo facerent, placu-  
isse *ἀκαταληψίαν* novæ *Academie*; quin potius,  
cum hoc doctrinæ monstrum multis ad Chri-  
stum convertendis scrupulū injiceret, aliquid  
ne verum credere deberent, & religionem pro-  
fiteri, & sic Christianismo maximè esset adver-  
sum, perpetuò Christianis fuit exosum, &  
subinde à patribus Ecclesiæ refutatum.

§. 55. Quod *Stoicorum* tradita se aliquate-  
nus commendarent Patribus, ideo factum,  
quod Stoici inculcarent præcepta virtutum,  
maximè affinia præceptis Christianorum. Quod  
autem à *Platonismo* se decipi paterentur, vel ad-  
scribendum est moribus illorum temporum, &  
quod

quod secta Platonis tùm excelsissimè floureret, vel quod Philosophi, qui Christianos oppugnant, maximam partem essent Platonici, vel denique, quod Plato Deo suo in fabricando mundo majorem libertatis gradum præ reliquis Philosophis relinqueret.

§. 56. Ex Patribus, qui ob Philosophiæ studium commendantur, sunt isti: DIONYSIUS AREOPAGITA, JUSTINUS MARTIR, ATHENAGORAS, TERTULLIANUS, IRENÆUS, PANTÆNUS, CLEMENS ALEXANDRINUS, ORIGENES, THEMISTIUS, GREGORIUS NEO-CÆSARIENSIS, ARNOBIUS, LACTANTIUS, BASILIUS MAGNUS, GREGORIUS NAZIANZENSIS, HIERONYMUS, CHRYSOSTOMUS, AUGUSTINUS, CYRILLUS. &c.

§. 57. Simul verò ex dictis patet, cùm homines incauti Philosophiam gentilem Christianismo, lucem tenebris miscerent, non potuisse non multas perversas sententias oriri. Quare observatum fuit eruditis, *Gentiliam Philosophiam matrem esse præcipuarum hæresium, & passim Philosophi dicuntur Patriarcha Hæreticorum, ac potissimum Platonici, quamvis alii maximè ex Pythagora & Zenonis fonte venena hæresium emanasse asserant.*

§. 58. Nam statim SIMON MAGUS, qui & ipse hæreticorum Patriarcha audit multa hausit ex *Platonismo*, ut & ejus Successor & Discipulus MENANDER. Menandri verò discipulus BASILIDES



DES nonnulla ab Aristotele videtur petiisse. Tum CARPOCRATES *Platonice* Philosophiæ peritissimus fuit, uude *Gnostici* derivantur. VALENTINUS Philosophus in Ægypto *Pythagoricus & Plonicus*, Epicuri Philosophiam & *Cynicorum* indifferentiam æmulabatur, minutiloquium verò & subtilitatem circa quæstiones ab *Aristotele* mutuati sunt ejus affectæ. MARCION in Philosophia *Stoicorum* eruditus fuit. TERTULLIANO etiam minus amor Philosophiæ *Zenoniane* viam monstravit ad MONTANI hæresin. ARTEMONITÆ sacras scripturas per *Aristotelem & Theophrastum*, exponebant. ORIGENES *Platonismo* seductus autor fuit peculiaris hæresis, quamvis alii arbitrentur, eum tradita sua maximam partem hausisse ex fonte *Pythagora & Zenonis*, unde etiam derivari meretur MANES, metempsychoseos *Pythagoricæ* defensor. ARRIUS *Platoniscus*, cujstamen hæresis ab *Aristotele* argumentationū rivos mutuatur, quippe AETIUS Arrii sectator Alexandriam profectus aliquot dies *Aristotelicis* argutiis ediscendis transegit, & hujus scriba EUNOMIUS sophisticè ex *Aristotele* in categoriis loco malè intellectu adversus Patris & Filii consubstantialitatem disputavit. Ex errore insuper *Aristotelis*, vel certe ex Aristotelis sententia non bene perceptâ error APPOLLINARIS de origine animæ ortum duxit. PELAGIANA hæresis à *Stoicismo & Epicu-*

& *Epicureismo* deducitur. **THEMISTIUS** *Peripateticus* **AGNOETARUM** sectæ prævisse fertur. **PHILOPONUS** cognomento Grammaticus Philosophiæ *Platonica* & *Aristotelica* peritissimus in errore **MONOPHYSITARUM** defendendo occupatus fuit, & ex *Aristotelica* Philosophia occasionem nactus hæresin **TRITHEISTARUM** introduxit. Et in genere, ut *Tertullianus* notat, quicumque ex hæreticis materiam cum Deo æquarunt, à *Zenonis* Schola, qui animam interire docuerunt, ab *Epicuro*, qui aliquid de Deo igne allegant, ab *Heraclito* deduci possunt &c.

§. 59. Successerunt tandem ea tempora, quæ ut *Romano Imperio*, ita & *Philosophiæ totiusque literaturæ maximum damnum* attulerunt, irruentibus in Italiam Gothis, Hunnis, Vandalis, Longobardis aliisque populis barbaris & omnia vastantibus. In *Græcia* verò non solum sub *Zenone* Imperatore Constantinopoli ultra centum viginti millia librorum incendiò peribant, sed & juvenum mentes à literis & doctrina alienæ esse incipiebant, & Philosophiæ studium maximè neglectim tractabatur. Interea lacertos movere cœperunt hætenus sprete & barbari *Arabes*, quorum uti antiquissimus & maximus Philosophus fuit *Jobus*, postea verò per hæresin *Mahumedis* omne liberarium artium studium ex Arabia fuit proscriptum; ita sub *Califatu Almamonis* Arabes omnem

omnem Græcam pariter & Latinam Philosophiam ad se traduxerunt, & inde in *Hispaniam* quam continuis irruptionibus olim occupaverant, transtulerunt.

§. 60. *Hispani* potissimum *Aristotelis* Philosophia delectati sunt, inter quos AVICENNA & AVERROES maximè memorari debent, uterque Arabs, uterq; Cordubæ in Hispania degens, uterque Aristotelis commentator & interpret, uterque in expositione Aristotelis ab altero discrepans. Averroës verò Aristotelem pro Deo sapientiæ habebat & opinabatur erroribus planè caruisse. Ejus sectatores *Averroïste* dicuntur, quorum cum aliis Philosophis præcipuè in Italia & hodiè & olim magnæ fuerunt semper contentiones, ex eo tamen pleraque posteriores *Scholastici* mutuati sunt.

§. 61. Interea *Christianus* orbis inter densissimas tenebras agebat, & circa nonum seculum tam indocta erant tempora, ut qui Philosophiæ operam navabat, vulgò *Magus* haberetur. Tandem exorti illi, quos hodieque *Scholasticos* appellamus, qui, cum initio Theologiæ in cœnobiis operam navarent, mox toti ad Philosophiam abrepti eam supra Theologiam extulerunt, quare potius Philosophis quam Theologis annumerari meruerunt.

§. 62. Primum ad *Scholasticam* Philosophiam gradum in occidente videtur struxisse JOHANNES RUCELINVS Britannus, cujus discipulus

Ius PETRUS ABELARDUS vir eruditus, sed maxime infelix, *Theologie Scholasticae* dedit initium, vel potius hujus discipulus PETRUS LOMBARDUS, non, ut alii volunt, LANFRANCUS seculo integro Abelardum antecedens. Unde in univ[er]sum *Scholastici in tres classes* vel ætates distribuuntur: *Veterem, Mediam & Novam.*

§. 63. *Vetus* à LOMBARDO incipit ad tempora usque ALBERTI MAGNI, in qua satis magna obtinuit Philosophiæ puritas, vel potius *consensus*, communiter successoribus Lombardi ab eju[s] sententiâ nunquam vel rarò recedentibus. Hos inter eminet ALEXANDER de ALES primus commentator in Lombardum.

§. 64. *Media* ab ALBERTO MAGNO ad tempora DURANDI duravit. Hoc enim temporis variæ Scholasticæ philosophantium *Sectæ* fuerunt ortæ: ALBERTUS *Albertistarum*, THOMAS AQUINAS *Thomistarum*, & JOHANNES DUNS SCOTUS *Scotistarum* autores fuerunt. Hoc tempore Aristotelica Philosophia ad summam dignitatem fastigium ascendit.

§. 65. *Tertiam* ætatem incipit DURANDUS DE SANCTO PORCIANO, quæ obtinuit ad tempora reformationis à Luthero institutæ. Inter hos potissimus GVILIELMUS OCCAM, Scoti Præceptoris oppugnator, novæ sectæ *Occamistarum* dedit originem.

§. 66. Frequens insuper mentio inter Scholasticas *Nominalium & Realium*, cujus ea brevis est histo-

historia. *Nominales* Universalia nihil aliud esse præter conceptus mentis existimabant. *Reales* contra eadem Universalia in ipsis rebus quærebant, in sex tamen sententias divisi: *Nominalium* secta ævô jam *Rucelini* incepit, sed mox in ejus discipulo *Petro Abelardo* expiravit, donec eam iterum incrustaverit *Occamus*, quem postea aliqui ex *Augustinianis* fuerunt secuti. Quod ad *Reales* attinet, illi post *Abelardum* soli regnabant, nec nisi post *Albertum Magnum* divisi sunt in suos surculos, *Thomistas*, qui *Dominicani* ordinis, & *Scotistas*, qui *Franciscani* erant, quorum illi *Realium* nomen *ναὶ ἐξοχῆν* retinuerunt, *Scotistæ Formalium* sortiti sunt.

§. 67. Uti verò *Philosophia Scholastica* tum temporis tam barbara, obscura & spinosa erat, ut vix titulum *Philosophiæ* mereretur, cum non nisi *Aristoteles* litigiosa & inepta subtilitate proponeretur; ita omnium stultitiam superarunt *Magistri nostri Colonienses*, qui *Aristotelem* Divis annumerarunt, & *Johanni Baptistæ* compararunt, quos adeò non sine causa egregiè exagitarunt *ERASMUS*, *REICHLINUS*, *HVTTENUS*, restauratores bonarum literarum in Germania, *LUTHERUS* quoq; & *MELANCHTON* insigniter in *Philosophia* versati erant, sanâ illâ, & quæ *Aristotelem* non habet pro idole.

§. 68. Apud *Jesuitas* verò legibus fancitum est, neminem in *Philosophia* præter *Aristote-*

stotelem sequi, unde à nonnullis *Scholastici Juniores* dicuntur. Quare non alia de causa *Orthodoxi philosophiam Aristotelicam* tam enixè rimantur, quàm quòd absque eâ non possint cum Jesuitis accuratè disputare, ut & *Scholasticam*, ut cum reliquis Pontificiorum ordinibus disquirere valeant.

§. 69. Quam rectè id fiat non disquiro, vides tamen rationem, cur contra intentionem LUTHERI & MELANCHTONIS adversus Aristotelem & Scholasticos sæpe graviter invehentium, in Academiis etiam Protestantium, Aristotelica & Scholastica Philosophia postea diu satis imperium plus quàm tyrannicum sibi vindicaverit, & in quibusdam adhuc idem prætendat.

§. 70. Et posses adeò *Philosophos Peripateticos*, quatenus hodie in Imperio florent, discernere in *Pantificios* & *Protestantes*. Illi vel aliquâ philosophandi libertate utuntur, ut *Jesuitæ*, vel certæ sectæ sunt addicti, aut *Nominalium* seu *Occamistarum*, aut *Realium*, qui sunt vel *Thomistæ* vel *Scotistæ*.

§. 71. Non defuerunt tamen, quibus istud jugum Philosophiæ Aristotelicæ displiceret, unde vel *alios ex Veteribus duces* sibi quaesiverunt alii, vel *libertate suâ* utentes corrigere defectum Philosophiæ Aristotelicæ *ex ingenio proprio* alii instituerunt.

§. 72. Et Philosophiam quidem *platon-*

C

cam

*cam* MARSILIUS FICINUS habitu Latinô donatam revocavit ab inferis, quin & BESSARION Cardinalis Platonem adversus calumniatores defendit, uterque quidem ante reformationem. Post eam verò in *Stoicam* Philosophiam optimè commentatus JUSTUS LIPSIUS in manu-ductione ad Philosophiam & Physiologi-  
am Stoicam, cui jungi merentur CASPARIS SCIOPPII Elementa Philosophiæ Stoicæ Mora-  
lis. *Epicuream* magnô studiô magnâque indu-  
striâ expolivit PETRUS GASSENDUS. Denique  
de *Italica* seu *Pythagorica* præstantiâ & naturâ  
eruditè commentatus est JOHANNES SCHEFFE-  
RUS, ut taceam illustrem Gallum FRANCISCUM  
MOTHÆUM VAYERIUM, ad *Scepticos* valdè in-  
clinantem, & hanc sectam scriptis variis cele-  
brantem.

§. 73. Qui ab Aristotele recesserunt, fuerunt non pauci. Nos potissimos enumerabimus, & qui *Sectis novis* dederunt occasionem. Occu-  
pati autem illi fuerunt vel circa Philosophiam  
*rationalem* vel *naturalem* vel *moralem*.

§. 74. In *rationali* PETRI RAMI nomen  
eminet, qui præeunte *Laurentiô Vallâ* & *Ludovi-  
cô Vive* non ferens barbaram Pseudoperipate-  
ticorum sophistarum Parisiensium & in eptam  
Philosophiam, scriptis *animadversionum Ari-  
stotelicarum libris* & *scholis Dialecticis*, aliisque  
tractatibus totam ferè Philosophiam Aristote-  
licam ex scholis ejicere intendit, potissi-  
mum

mum verò *Organum Aristotelicum* impugnavit substitutis propriis institutionibus dialecticis, in quibus pleraque Logicæ Aristotelicæ capita ut inutilia omittit. Vir alias humanus & doctus, sed mirè exagitatus ab adversariis, quos tamen variâ fortunâ usus, superavit vivus, quamvis iidem sicariorum more necem ipsi attulerint, & sic de mortuô triumphaverint. Protulit pomœria Philosophiæ in Gallia primus, revocando artes liberales ad studium Philosophiæ, cum eas barbari Philosophi, tanquam nihil ad illam facerent, spernerent.

§. 75. Deinde & RENATUS DES CARTES vulgò *Cartesius* dictus Nobilis Gallus huc referri meretur, qui quoad principia cognoscendi ab Aristotele recessit sensibus plurimum denegans, & mediam quandam sectam inter *Platonismum* & *Scepticismum* instituens, de quâ suô locô plura. Fuit autem *Cartesius*, ut summatim dicam. Vir judiciô naturali & ingeniô maximè pollens & veritatis cupidus, sed ratiocinandi arte non probè instructus, àque præjudiciis & nimium & parum sibi cavens, libertatis philosophandi amantissimus, sed nimius ac aliquatenus fastuosus veterum Philosophorum contemptor, cum adversariis tamen suis placidissime disputans, & hac parte exemplum præbens Politici modestissimi & humanissimi,



uti adversarius ejus GIBERTUS VOETIUS Theologi superbissimi & impetuofissimi, ac parum Christiani.

§. 76. A *Cartesio* dicuntur *Cartesiani*, sed ambigüe. Modò enim ii, qui *cæco impetu* *Cartesium* sequuntur in omnibus, sic appellantur, modo illi denotantur, qui ejus dogmati quasi characteristico *de Dubitatione* subscribunt; modò illi *Cartesianorum* nomine compellantur, qui *Cartesianorum Philosophiam* extollentes *Theologia* pomœria & fidei simplicitatem hoc aut istò *Cartesii* effatò abusi turbant; modò isti sic appellantur, qui non asfurgere hostibus *Cartesii* capitalibus, nec cum ipsis ad convitia adversus *Cartesium* diffluere cupiunt, sed ejus acutè & nervosè dicta æstimant; modo denique ii per calumniã sic vocantur, qui deserunt esse *Aristotelici*, vel ne desertò quidem penitus *Aristotele* à quibusdam saltem decretis discedunt.

§. 77. In *Philosophia naturali* plurimi ab *Aristotele* recesserunt, ut BERNHARDINUS TELESIIUS, FRANCISCUS PATRITIUS, CARDANUS, COPERNICUS, GALILÆUS, TYCHO à BRAHE, CARPENTARIUS, CAMPANELLA & alii infiniti, in tantum, uthodie in Gallia & Anglia & plurimis Germaniæ Academiis *Physica Aristotelica* ob imperfectionem suam sit explosa.

§. 78. Inter eos, qui Sectas fecerunt, pr-

præcipui sunt *Cartesiani*, quippe & Cartesius plurima in hac Philosophiæ parte innovavit, cujus hypotheses propè in aliquibus accedunt atomis Epicuri.

§. 79. Sed & *Chymici* peculiarem quasi Sectam constituunt, omnes disciplinas excepta Physica ferè negligentes, hanc verò meditationibus obscuris & cabalisticis involventes. Celebres in hac arte sunt RAYMUNDUS LULLIUS, ARMANDUS DE VILLA NOVA, BERNARDUS TREVISANUS, THEOPHRASTUS PARACELSUS, CROLLIUS, LIBAVIUS, QUERCETANUS, & alii.

§. 80. In *Philosophia morali* quantum *Politica* attinet, notæ sunt in vulgus Sectæ *Machiavellistarum* & *Monarchomachorum*. Illa à NICOLAO MACHIAVELLO Secretario Florentino denominatur, qui in scriptis suis Politicis maximè de *Principe* Principem suum iis regulis instruit, quas tyrannis convenire ostenderit Aristoteles, unde non solum impietatis, sed & atheismi communiter accusatur, etsi à nonnullis defendatur, quod sub larva scelerati Politici historicum egerit male facta! Principum detegentem.

§. 81. Ejus sectatores magis in factis ejus doctrinam exprimunt, quàm ut in scriptis illam defendant, nisi huc referre velis *Hominem politicum* ANONYMI, quem sub titulo *Politici scelerati* dignâ commentatione

auctum edidit, PELLERUS. Incusantur tamen Machiavellismi passim HOBBIUS & JUSTUS LIPSIUS, sed pro quibus defendendis fortè non vana afferre posses.

§. 82. *Monarchomachorum* verò sectæ ansam dedit Machiavellismus cum plures, qui doctrinam Machiavelli impugnare aggressi sunt, in alterum extremum dilapsi, principem populo subesse, & ab hoc puniri posse, defenderunt. Tales sunt MARIUS SALOMONIUS, GEORGIUS BUCHANANUS, STEPHANUS JUNIUS BRUTUS seu INNOCENTIUS GENTILETTUS, JOHANNES BUSCHERIUS, FRANCISCUS HOTTOMANNUS, LAMBERTUS DANÆUS, PHILIPPUS HOENONIUS, ROSSÆUS, JOHANNES ALTHUSIUS, CLAUDIUS SEYSELLIUS, JOHANNES MILTONUS &c.

§. 83. Porro *integram Philosophiam moralem Aristotelicam* præter quæstiones inutiles de Summo Bono, & catalogum undecim virtutum, ac divisiones rerumpublicarum, nihil ferè solidi continentem jam dudum imperfectam esse judicarunt *Theologi Pontificii*, qui, in alterum extremum prolapsi, scriptis vastis de *Justitia & Jure*, locò Philosophiæ moralis exhiberunt informe chaos, miscentes videlicet inter se *Philosophiam, Theologiam & Jurisprudentiam Romanam*, digni adeo, qui barbarò *Moralistarum* nomine communiter appellarentur.

§. 84.

§. 84. Ergo nobilissimam hanc Philosophiæ partem nitori suo restituere ex novioribus aggressi sunt Viri quidam insigni judiciô & acumine pollentes; ex falsâ quidem hypothefi THOMAS HOBBS Anglicus, qui tamen sectatores nullos invenit, exceptô LAMBERTO VELT-HUYSIO Medicô Belga; ex genuino verô socialitatis fonte HUGO GROTIUS & SAMUEL PUFENDORFFIUS, quibus Duumviris æqualis laus renovatæ elegantioris & sobriæ Philosophiæ moralis debetur; illi, quod viam monstraverit, huic, quòd opus perfecerit, supplendo defectus Grotii.

§. 85. Unde hodie *quatuor Sectas* potissimum in Philosophia morali numerare poteris. *U-*nam eorum, qui *Grotium & Pufendorffium* sequuntur, *alteram* eorum, qui laudatissimis horum conatibus se opponunt, qui tamen vel *secundò* vulgaria *Peripateticorum* vestigia sequentes stramineis; vel *tertiò* ex *Moralistarum* morosa & inani Philosophia cereis; vel *quar-*tò vitreis, sed magna arte præparatis, ut cœcutientibus ferrea videantur, armis, ex elegantissimo, & infinitis coloribus picto quodam armariô depromptis, illos oppugnant.

§. 86. Denique etiam memorari merentur *Secta dua extrema* & sibi maximè contrariæ, quarum una omnem Philosophorum

diffensionem tollere, & antiquos potissimum Philosophos inter se conciliare, & ita *Syncretismum quendam Philosophicum* introducere est conata, non conciliò quidem, vel edictò prætorio, aut persuasione partium, ut olim LUCIUS GELLIUS PUBLICOLA tentavit, sed scriptis publicè editis.

§. 87. Et *Stoicos* quidem atque *Epicureos* non ita pridem in doctrina de Summo Bono conciliare intendit BERNARDUS à MALLINCROT. Sed conciliatorum *Philosophia Aristotelica* in universum cum aliis & maximè cum Platone antiquior secta est. Jam enim suò ævò ANTIOCHUS ASCALONITA, & hujus discipulus CICERO docuerunt, optimè convenire *Aristotelis* cum Scholà *Platonica* & insuper *Peripateticos* cum *Stoicis* se consentire & non nisi verbis discrepare. Postea à PLOTINO, PORPHYRIO, & aliis Philosophis gentilium, usque ad SIMPLICIUM, concordia *Platonica* & *Aristotelica* *Philosophiæ* iterum tentata fuit, ex Christianis à BOETHIO; tum reductà in orbem literarium *Philosophia Aristotelica* à BERNHARDO CARNOTENSI, JOHANNÉ PICO MIRANDULA, PAULO SCALICHIO, FRANCISCO DIACETIO, SYMPHORIANO CAMPERIO, SEBASTIANO FOXIO & multis aliis in academiis Italiæ. Sed hic quidem *Syncretismus* ut omnis alius ma-

xime

ximè rationi adversus est, & ex Philosopho facit Sophistam, cum necesse sit eorum, qui omnino à se dissidere voluerunt, verba & sensum ex una parte pervertere ac depravare, ut concordia evadat.

§. 88. *Altera Secta* Philosophiæ abusum ejusque mixturam cum Theologia cernens in alterum extremum est prolapsa, ut statueret *Philosophiam omnem à Damone esse profectam, eamque, ut inimicam Christiana fidei à Paulo esse damnatam, quam sententiam fovent Anabaptiste, Fratres Rosæ crucis, Weigeliani & alii.* Et notum est, quòd initiò hujus sæculi in Academia Julia majores turbæ eapropter à DANIELE HOFMANNO & ipsius affectis motæ fuerint, donec lis autoritate Principis sopita, & Philosophiæ suus honos restitutus. Quin & *Machiavellistis* tribuitur, quod statuant, Philosophiam theoreticam homines reddere ineptos ad Politicam, in quorum tamen sententiam foret inquirendum distinctius.

§. 89. Recensuimus hæctenus varias Philosophorum Sectas, *Secta* voce in lato significato usi, quatenus denotat seriem Philosophorum, qui vel certi unius antesignani placita, vel certe modum & consilium Philosophandi quomodocunq; sequuntur. In *stricta* acceptione illi solum Sectatorum nomen merentur, qui doctoris certi doctrinis & placitis peculiaribus adhærent, eaq; ex amore plusquam fœmineo

& cæco impetu moti defendunt. His adeo opponuntur *Pyrrhonii*, qui nulla habent placita, *Ecleſtici* qui certa placita non ſequuntur, *Syncretiſta* item, qui ineptis ſuis conciliationibus ex placitis certis faciunt incerta, & HOSTES PHILOSOPHIÆ, ut qui omnia Philoſophorum dogmata reſpuunt.

§. 90. Uti verò *Pyrrhonorum*, *Syncretiſtarum*, & *hoſtium Philoſophiæ* aſſectæ hodie communiter exulant, ita de comparatione *Sectariæ* & *Ecleſticæ Philoſophiæ* pauca dicenda reſtant. Voco autem *Ecleſticam Philoſophiam*, quæ jubet non dependere ab ore unius, aut in unius magiſtri verba jurare, ſed ex ore ſcriptiſq; doctorũ quorumcunq;, quicquid veri bonique, non docentis autoritate, ſed argumentorũ pondere convictus quis cognoverit, in horrea ſua colligere, adeoq; de ſuo ſubinde addere, & ita ſuis poti9 oculis quam alienis videre. Unde à Philoſophis *Ecleſticis* nimium quantum differunt *αιυροδιδακτοι*, *Quodlibet arii* item, & *Collectores*.

§. 91. Igitur quod *Philoſophiam Sectariam* attinet, facile demonſtrari poterit, & ab aliis jam demonſtratum eſt, ejus nullam eſſe *neceſſitatem*, nec ab ea in *Republicam* ullam redundare *utilitatem*; *Sectarios* item *Philoſophos* maximè peccare in *leges æquitatis naturalis* & *modestia*, dum nimiâ laude extollunt caput *Sectæ ſuæ*, diſſentientes verò nimis contemnunt, ſtultitiæ & impietatis ſubinde arguentes, ob in-

tem-

tempestivum videlicet antiquitatis contemptum, aut novitatis in consideratum odium. Quid quod? Philosophiam Sectariam & olim & nunc *magnis turbis in Ecclesia & Republ.* dedisse ac dare occasionem, docent historiarum atque experientia.

§. 92. Contrà verò *Philosophia Eclectica* propter infinitam rerum sciendarum varietatem maximè est *necessaria*, & ad inquirendam veritatem *utilissima*, simul verò *aqua*, quia nullò trahitur partium studio, sed æquali affectu omnes prosequitur, & modeste de erroribus singulos admonens, quatenus illi obsunt veritati, & aliorum monita modestè ferens, cui adeò nec antiqua sordent, nec nova contemnuntur, & quæ *non ita facile occasionem turbis præbet*, cum cuilibet æqualem sentiendi libertatem permittens, nec novam Sectam introducere in Rempublicam, nec uno impetu veterem ejicere intendat.

§. 93. Accedit, quòd semper *prestantissimi Philosophorum fuerint Eclectici*. De *Pythagora, Zenone, Platone* supra diximus. Idem de *Democrito* dicendum, & ipso, in cujus verba jurari solet, *Aristotele*. Nec aliter judicandum de plerisque Patribus Ecclesiarum, ut de *Cicerone & Seneca* jam nihil dicam. Nostri temporibus *Carsesium*, quicquid ipse dissimulet, Eclecticam egisse, demonstrarunt viri eruditi; apertius autem Philosophiarum Eclecticarum addicti fuerunt, eamque commendarunt **VERULAMIUS HO-**



HONORATUS FABRI, JOHANNES BAPTISTA DU HAMEL, CASTELETIUS, FRANCISCUS REDUS &c. Quibus ex nostris unum instar omnium liceat adjicere B. RAPPOLTUM & ex Professoribus Altdorffinis STURMIUM. Quid quod pleræque hodie *Eruditorum Societates* per Germaniam, Italiam, Galliam, Angliam & Daniam institutz hanc Philosophiam profitentur, potissimum *Regia Gallica Academia scientiarum*, & *Regia Anglorum Societas*.

§. 94. At inquirunt, *difficillimum est esse Eclecticum*. Respondeo<sup>(1)</sup> ita saltem dicunt homines pigri & inepti. (2) Sectarium esse multò est laboriosius, quippe Philosophia Eclectica laborem requirit ingenuo homine dignum, Sectaria asinum.

§. 95. Sed melius tamen est, *sequi unum ducem quam à multis in diversa rapi*, ut quem sequaris nescias. Resp. (1) Consentimus, quippe docentibus magis & adultis, quam tyronibus electionem commendamus. (2) Eadem & fortè major difficultas præmit Philosophum Sectarium.

§. 96. *Quamvis autem nutritores Academicarum Aristotelem in plerisque Academicis ut normam observari voluerint*; tamen id inde factum, quod alium tum non nosset Germania nostra, & per hanc institutionem via magis præclusa est novis sectariis, quam eclecticis, quod ipsi fatentur plurimi variarum Academicarum

cla-

clarissimi Professores, libertatem philosophandi moderatam commendantes His adde, quod hodie Philosophia Sectaria magis se commendet *Schola, Eclectica Aula.*

§. 97. Quare non *inanis & frustraneus* labor est commendandi Philosophiam Eclecticam cum & *multi tamen adhuc dentur sectarii*, & multi, qui libertatem aliquam philosophandi sibi arrogant, vix à sectariis discerni possint, cum difficillimè & non nisi ubi extrema necessitas premit, à secta sua recedant, odio & invidia prosequentes eos, qui novis observationibus veritatem inquirere satagunt, *gleba adscriptiis* adeò magis similes aut *libertinis*, quàm ingenuis hominibus, aut civibus Romanis.

§. 98. Ergone, inquires: Non præstabit, integram unamq; sequi Philosophiam, quam *raancam & mutabilem & variis subinde adsutis partibus, aliam indies, nec eandem unquam?* Imbecillitas intellectus nostri inculpanda & difficultas rerum, non modus Philosophandi. Una semper & eadem, quæ veræ Philosophiæ nomen mereatur, dari nequit, ergo alterâ finis contenti. Ita præstat, navem habere ad navigandum aptam, etsi sæpius in partibus renovatam, quæ renovatio tamen identitatem non tollit, quam retinere perpetuò eandem non bene coherentem & rimarum plenam. Ita præstat ædificium à variis artificibus adornatum quam tuguriolum à rustico etsi uno extructum,

CAP.

## CAP. II.

De

## Philosophia in genere.

## SUMMARIA.

- P**hilosophia ante Pythagoram dicebatur Sapi-  
entia, qua vel vera vel  
falsa. 1.
- Utraque sub se comprehendebat Theologiam. 2.
- Tam apud Gentiles quam apud Judeos. 3.
- Quod declaratur per inductionem Sectarum Gentilium Philosophia Barbarica. 4.
- Post Pythagoram Sapiencia Philosophia dicta mixturam admisit cum Theologia. Philosophorum Gentilium primum principium de duobus principis coaternis. 5.
- Est etiam primus articulus Ethnicismi. 6.
- Conditio Philosophia ante Platonem. 7.
- Plato autor Philosophia tripertita Logica, Physica, Ethica. 8.
- Quem aliqua ex parte secuti sunt Stoici. 9.
- Epicurus Logicam rejecit. 10.
- Aristoteli Philosophia vel Theoretica vel Practica. 11.
- Quam divisionem commendat Seneca, cum Platonica conciliare voluit Augustinus. 12.
- Theoretica vel Metaphysica, vel Astrologia, vel Physica. 13.
- Practica Philosophia Aristoteli unica, nempe Politica. Artes a voce Philosophia exclusae. 14.
- Post Christum natum Patres Platoniam divisionem

- nem Philosophia paululum immutant. 15. Fundamenta dispendendi quatuor facultates scientiarum in Academiis receptarum. 27.
- Aristotelici divisionem generalem Aristotelis retinent, in speciebus vero egregie à magistro suo aberrant. 16. Separatio & differentia Theologia à reliquis. 28
- Metaphysica Aristotelicorum spuria. 17. Reliquarum inter se discrimina. 29. 30.
- Eorum Pneumatica, Gnostologia & Noologia. 18. Definitio nostra Philosophia. 31.
- Astrologia confusio cum Physica & scientiis Mathematicis. 19. Philosophia à Theologia differt principio cognoscendi. 32.
- Philosophia Practica insufficientia. 20. Cavenda igitur mixtura duplex. 33.
- Diviso Philosophia secundum Ramistas. 21. Una eorum, qui ex ratione deducunt mysteria fidei. 34.
- Philosophia Homonymia. 22. Altera eorum, qui ex revelatione deducunt Conclusiones Philosophicas, ut Philosophi gentiles, 35.
- Veterum Definitiones Philosophia ad Metaphysicam pertinent. 23. Et ex modernis illi, qui Philosophiam quandam Christianam fingunt. 36.
- Una ad Philosophiam late acceptam. 24. Unde hac mixtura duplex evadit. 37.
- Hodiernorum definitiones Philosophia quàm Aristotelicorum, quàm Ramistarum. 25. Pro utroque mixtura genere
- Nostra Philosophia acceptio. 26.

- nere diſterium eliditur. Rurſus Ethica. 50.*  
 38. *Oſtenduntur ineptia argu-*  
*mentationis pro Philo-*  
*sophiâ Chriſtianâ ab E-*  
*xemplis. 51.*  
*Contra eandem ſententia*  
*Verulamii. 39.*  
*Inquiritur diſtinctius in*  
*ſigmentum Philoſophia*  
*Chriſtiane. 40.*  
*Item imbecillitas argumen-*  
*ti ab autoritate. 52.*  
*Probatur eam impingere in*  
*Notatur diverſitas testi-*  
*moniorum. 53.*  
*principia communia ra-*  
*tiocinandi. 41.*  
*Respondetur ad autoritates*  
*Nazianzeni. 54. La-*  
*etantii. 55. Scholaſti-*  
*corum. 56. Pontificio-*  
*rum, Reformatorum &*  
*Socinianorum, 57. Fro-*  
*mondi, Manzii, Ludo-*  
*vici de Beaufort. 58.*  
*Meiſneri, Keſleri, &*  
*Patris. 59. deniq; Gen-*  
*tilium. 60.*  
*Et improbatam eſſe ipſis Pe-*  
*ripateticorum preſtan-*  
*tiſſimis. 47.*  
*Adduntur due diſtinctio-*  
*nes pro rectius intelli-*  
*gendo controverſia ſta-*  
*tu. 43.*  
*Argumenta adverſa partis*  
*excutiuntur. Initio qua-*  
*tenus probatio per e-*  
*xempla hic admittenda,*  
*Iterum notatur imbecilli-*  
*tas novi argumenti 61.*  
 44.  
*Refutantur Exempla ipſa:*  
*Absurdum ex ſigmento Phi-*  
*loſophia Chriſtiane de-*  
*ductum. 62.*  
*Metaphyſice Chriſtia-*  
*nae. 45.*  
*Logice Chriſtiane. 46.*  
*Ultriuſq; mixtura damna.*  
*63. 64.*  
*Phyſice & Ethice Chriſti-*  
*anae. 47.*  
*Ex ſine Philoſophia dedu-*  
*citur, ſinem Philoſo-*  
*phie Theoretica non*  
*ſeſſe*  
 48.  
*Pneumatica Chriſtiane.*  
 49.

<i>esse nudam contempla-</i>	<i>singulas Philosophiæ</i>
<i>tionem. 65.</i>	<i>partes. 70.</i>
<i>Divisio Philosophiæ in Divisio habituum intelle-</i>	<i>Etualium emendata. 71.</i>
<i>Principalem &amp; Instru-</i>	<i>Prudentia est vel Juris-</i>
<i>mentalem. 66.</i>	<i>prudentia, vel prudent-</i>
<i>Instrumentalis species. 67.</i>	<i>tia vel de arte. 72.</i>
<i>Species Principalis Philo-</i>	<i>Sive vel Prudentia strictè</i>
<i>sophiæ. 68.</i>	<i>dicta vel solertia. 73.</i>
<i>Alia Philosophiæ divisio.</i>	<i>Hujus loci est Prudentia</i>
<i>69.</i>	<i>de arte, seu solertia.</i>
<i>Dissensus antiquiorum</i>	<i>74.</i>
<i>Philosophorum circa</i>	

## §. 1.

**V**OX *Philosophiæ* est terminus technicus, cujus significatio sumenda à Philosophis, qui ei valorem imposuerunt. Fuerunt illi vel ante Pythagoram vel post eum. *Ante PYTHAGORAM* *Sophiæ & sapientiæ* nomen erat in usu. Quid verò sapientes isti sub voce *Philosophiæ* complexi fuerint, ex fragmentis hinc inde colligendum est. Dicemus: antiquissimis temporibus *sapientiam* fuisse vel *veram* vel *falsam*; Illam *Adamiticam & Noachicam*; Hanc *Caimiticam & Chamiticam* seu Nimrodianam.

§. 2. *Sapientiam veram* voco, quæ de rebus omnibus & earum causis ratiocinatur secundum ductum rectæ rationis & divinæ revelationis. *Falsam*, quæ ratiocinatur secundum ductum revelationis diabolicæ & rationis

D

COR-

corruptæ. Utrobique enim sub voce *sapientiæ* comprehendebatur & *Theologia*.

§. 3. Unde non solum *Judeorum Philosophiam*, quam ab *Abramo* hausere, faciunt Doctores bipartitam, partim *naturalem*, cujus pars erat *Astrologia*, partim *Divinam* sive de Deo & ejus operibus ac voluntate, & præterea *Salomon* sapientissimus hominum in utraque sapientia excelluit; sed & *sapientes Gentilium* revelationes miscebant rationi.

§. 4. Nam *Chaldei* antiquissimum Doctorem genus plurimum *Astrologiam idololatricam* tractabant. *Persica* sapientia, item *Medorum*, *Parthorum*, *Sacorum* aliarumque vicinarum nationum à *Magis* excolebatur *Indorum* Brachmanes & *Gymnosophiæ* adhuc hodie simul sunt *Sacerdotes*. Idem dicendum de *Sacerdotibus Ægyptiis*, qui antiquissimis temporibus *Sapientiam* professi sunt, latè quidem se diffundentem, ac comprehendentem sub se artes liberales & *Philosophiam naturalem* pariter & *moralem*, tum *Theologiam*, *Medicinam* & *Jurisprudentiam*. *Germanorum* antiqua sapientia maximam partem in *cultu idololatrico* consistebat, & *Gallorum Druidæ* nihil aliud erant quam *Magi*, potissimum *Philosophiam naturalem* *Theologiæ* conjungentes.

§. 5. Post *PYTHAGORÆ* tempora, qui nomen sapientiæ in *Philosophiam* mutavit, non cessavit *Philosophiæ* cum *Theologiæ* conjun-

unctio, quia plerumque *Pythagoræi & Platonici* magia simul erant addicti. Adde quod *commune dogma* omnium sectarum Græcarum fuerit *de duobus principiis coæternis*, Deo & *materia prima*, quod hauserunt ex duabus potissimum rationibus<sup>(1)</sup> quòd putarent primum principium istud: Ex nihilo nihil fit, esse sine exceptione verum. <sup>(2)</sup> quòd existimarent, non aliâ ratione absolvi Deum posse, ne habeatur causa mali, nisi daretur aliquod ultimum & independens omnis mali principium, quod putaverunt esse coævam illam Deo materiam.

§. 6. Hæc verò dogma de duobus principiis est primus quasi articulus *Ethnicismi*, & facit, ut ethnica religio cum Christiana conciliari non possit, simul adeò non solum *perverse ratiocinationi*, sed etiam *revelationi* debet originem, unde & plerique hæretici primitivæ Ecclesiæ illud pro fundamento posuerunt.

§. 7. Reliquam conditionem Philosophiæ post Pythagoram eleganter exponit Laërtius. *Philosophia*, inquit, *olim in una Physica versabatur*, Socrates adjecit Ethicam, Plato Dialecticam. Etenim quod PYTHAGORÆ OS attinet, pro præparatione ad studium Philosophiæ habebatur *doctrina matheseos*, tum pergebatur ad *Physicam & Theologiam*, quæ quasi partes Philosophiæ ipsis habebantur *Logica* igitur tum non nisi parcissimè tractabatur,



quod & de Philosophia *moralis* tenendum est. Contra SOCRATES *Mathematicas* doctrinas fere non attigit, nec de *Physicis* unquam disputavit, quin potius eam Philosophiæ partem ut dubiam, incertam & inutilem prorsus tepudiavit; *Moralem* contra & *Logicam* potissimum excoluit. Unde & PLATO *Rationalem* & *Moralem* à Socratis fonte hausisse dicitur Apulejo; quod tamen non obstat, quò minus Platò dici possit primus in Philosophia nominasse *Dialecticam*.

§. 8. PLATO igitur primus Philosophiam tripertitam fecit, *Logicam* seu *Rationalem*, *Physicam* seu *Naturalem*, & *Ethicam* sive *Moralem*. Quod tamen sic capiendum, ut neque sub *Logica* artes liberales, neque sub *Physica* *Mathesis* & *Metaphysica*, neque sub *Ethica* *Oeconomica* comprehenderetur. Autor verò est Eusebius, *Physicam* à Platone subdivisam fuisse, nempe in sensibilem doctrinam & in corporalium speculationem, ut adeo quatuor hòc pacto quasi partes Philosophiæ evadant, si *naturalem* seu *physicam* strictè dictam à *divina* seu *Theologia* separet.

§. 9. STOICI quoque tripertitam istam Philosophiæ divisionem in *Physicam*, *Ethicam* & *Dialecticam* secuti sunt, sic tamen, ut quandoque per *Dialecticam* intelligerent Philosophiam intellectivam sive *divinam*.

§. 10. EPICURUS duas saltem Philosophiæ par-

partes agnovit, *Naturalem & Moralem. Rationalem* rejecit vel certè in locum ejus minimam illius partem, quam *Canonicam* vocavit, substituit.

§. 11. ARISTOTELES duas Philosophiæ partes fecit, *Theoreticam & Practicam*, sive, *Speculativam & Activam*, cujus fundamentum alii à fine Philosophiæ, quem, assimilari Deo, statuunt; alii à duplici animæ nostræ facultate, *Intellectu & Voluntate*; alii à duplici Philosophiæ objecto rerum divinarum & humanarum desumunt.

§. 12. Hanc divisionem ex antiquis maximè commendat SENECA, eamque cum præcedente, *Platonica*, conciliare aggreditur AUGUSTINUS, *Rationalem & Naturalem* ad *Theoreticam*, *Moralem* ad *Practicam* referens, præter intentionem tamen *Aristotelis*, rationalem ab hac divisione planè excludentis, & sub *Theoretica* comprehendentis *Mathesin*, quorum neutrum faciebat *Plato*.

§. 13. Nimirum *Theoreticam Aristoteles* sub dividit in *Metaphysicam*, quæ Deum, *Astrologiam*, quæ cælum, & *Physicam*, quæ corpus naturale contempletur. Verius, enim est, quod ex *Mathematicis* Aristoteles solam *Astrologiam* nomine scientiæ dignaverit præ reliquis scientiis mathematicis.

§. 14. *Practicam Philosophiam Aristoteles* unicam fecit, *Politicam*, cui subordinavit *Ettricam* & partem *Politiciæ* fecit; *Oeconomicam* verò

vel planè omisit, vel eandem ut ultimam partem Politicæ subjunxit. *Artes* autem, sive scientiam factivam, Philosophiæ nomine indignas habuit, utpote, quatenus eæ mechanicæ sunt, famulas potius & administras Politicæ.

§. 15. *Post Christum natum* variarunt Philosophi in enumerandis Philosophiæ partibus, prout vel Aristoteli vel aliis antiquis Philosophis, maximè Platoni, fuerunt addicti. PATRES, qui plerumque Platonem sunt secuti, tripertitam Philosophiam retinent, sed in recensendis partibus nonnunquam variant, quibusdam locò *rationalis* nominantibus *Mysticam* vel *Enopticam* seu *Epopicam*, quamvis adhuc alii *Mysticam* rationali, vel *Logicam* *Epopicam* ut quartam speciem superaddant.

§. 16. ARISTOTELICI *Logicam* à Philosophiæ titulo secludunt, retinentes ejus divisionem in *Theoreticam* & *Practicam*, sed in recensendis utriusque speciebus reverà sunt parum Aristotelici:

§. 18. Locò *Metaphysicæ*, primariæ ex scientiis secundum Aristotelem, exhibent Lexicon Philosophicum terminorum, magis ad aberrandum à veritate quàm ad eam consequendam, idoneorum, quod adeò tantum abest, ut Philosophiæ nomine dignum sit, ut ne quidem pro instrumento idoneo Philosophiæ sit habendum, & tamen gloriantur, esse *Sapientiam*, esse *Reginam* reliquarum. *Philosophiæ partium*.

§. 18.

§. 18. Addunt disciplinam Aristoteli incognitam, quam *Pneumaticam* vocant, ut de *Gnostologia* & *Noologia* nihil dicam.

§. 19. *Astrologiam* cum *Physica* confundunt, & in *Astrologiæ* locum obtrudunt disciplinas omnes mathematicas.

§. 20. In *Philosophia Practica* inutiles lites movent, an *Ethica* & *Politica* sint species, an partes *Philosophiæ Practicæ*; item, an his addenda sit *Oeconomica*, media verò obtinendi beatitudinem civilem, quod fit per leges & consilia, item obtinendi sufficientiam domesticam planè omittunt, ductore videlicet destituti, quod *Aristotelis* libri hâc parte interierint.

§. 21. Non omittendi etiam sunt RAMI-STÆ. Hi *Philosophiam* dividunt in *propædiam* & *pædiam*. *Propædiam* in *generalem* & *specialem*. *Generalem*, quæ informat hominis vel arationem, ut *Grammatica* & *Rhetorica* vel rationem, ut *Logica* vel *Dialéctica*. *Specialem* dicunt *Mathematicam*, ejusque duas partes, *Arithmeti- cam*, & *Geometriam*. *Pædiam* item faciunt vel *generalem*, quo referunt *Ethicam* & *Physicam*, vel *specialem* puta *Historiam* & *Pœsin*.

§. 22. His præsuppositis notandum, *Philosophiam* sumi (1) *latissime* pro complexu omnis sapientiæ quocunque principiò acquiritur ut & *Theologiam revelatam* sub se comprehendat. (2) ut *Theologiæ* opponitur pro complexu sapientiæ ex lumine rationis ortæ, ita ut

*Jurisprudentiam & Medicinam* sub se contineat. (3) *Quatenus Jurisprudentiæ & Medicinæ* opponitur, *artes tamen quascunq; liberales & illiberales* complectitur. (4) *Quatenus artibus illiberalibus* opponitur (5) *Quatenus etiam* opponitur artibus *liberalibus* vel *Grammatica*, item *Rhetorica*, vel insuper (6) & *Disciplinis Mathematicis*, aut (7) *Logica*. (8) *Pro Metaphysica sola seu Theologia*.

§. 23. Et *ultimus* quidem significatus maxime frequens erat antiquis, unde pleræque antiquorum definitiones eò pertinent, ut quod *Pythagora* est *Φιλία σοφίας* (*amor sapientiæ*) *Platoni* *Φιλία Θεῦ* (*amor Dei*) rursus *Pythagoræ* *γνώσις τῶν ὄντων ἢ ὄντα ἔσιν*, vel *γνώσις τῶν ἀληθῶς καὶ ὄντως ὄντων* (*eorum, quæ reverà entia sunt & entitativè existunt*) *Platoni* *μελέτη θανάτου* (*meditatio mortis*) item *ὁμοίωσις Θεῦ κατὰ δύνατον ἀνθρώπου* (*assimilatio Dei, quatenus possibile est homini*) item *Aristoteli*, vel quicumque ejus autor est, *Τέχνη τεχνῶν καὶ Ἐπιστήμη Ἐπιστημῶν* (*ars artium & scientia scientiarum*) & alix similes, quamvis communiter, sed erroneè de *Philosophia* latè acceptâ soleant exponi.

§. 24. Ergo ex antiquis Definitionibus illa ferè sola ad *Philosophiam* latè dictam pertinet, dum dicta fuit *γνώσις Θεῶν καὶ ἀνθρώπων πραγμάτων*, *scientia divinarum & humanarum rerum*, quam communiter *Pythagoræ*, alii *Stoicis* adscribunt. Per res enim *divinas*  
intel-

intelligi videntur non solum Deus, sed & creaturæ utpote quæ conjunctim Platonici ad Physicam referebant, per *humanas*, actiones hominum, quæ sunt Philosophiæ moralis Objectum.

§. 25. Ex his autem antiquorum Definitionibus *Peripatetici* promiscue & confuse eligunt aliquam, quæ præ reliquis cuique arridet. *Romei* quartum significatum potissimum secuti, ex sententia, ut dicunt, Platonis & Ciceronis Philosophiam describunt, quòd sit *ordinata liberalium artium comprehensio*, quo pacto tamen & à veteribus & à multis nostratium recesserunt, artes liberales Philosophiæ opponentibus, quamvis & ipsi in recensendis artibus liberalibus maximè variant.

§. 26. NOBIS convenientissimè *Philosophia* definienda videtur, quatenus vocabulum istud in Academiis supponitur nostris, hoc est quatenus *Philosophia* opponitur tribus reliquis *Facultatibus* superioribus & comprehendit sub se *artes liberales*.

§. 27. Quod ut rectius intelligatur, ita procedo. Homo naturâ suâ *scire* quid desiderat, hæc scientia autem ipsi non est congenita, quare dixerunt etiam veteres, *Philosophiam ab admiratione incepisse*. *Scientia* igitur latissimè accepta dupliciter potissimum *Divisionem* recipit (1.) intuitu *principii*, unde ea petenda (2.) intuitu *finis*, cujus gratia homo eam appetit.

§. 28. Jam dico: *Scientia* vel tendit ad *beatitudinem aeternam*, quam comparat *Theologia*, vel *temporalem*, quo pertinent *tres facultates reliqua*. Ad *aeternam* nihil contribuit ratio sibi relicta, sed sola revelatio, ergo *Theologia* etiam *ratione* non habet opus, bene tamen, *revelatio* poterit contribuere ad salutem hominis *temporalem*.

§. 29. Unde *reliquas tres facultates* dispesco, quod sint vel *Instrumentales*; quæ aliis *Facultatibus* inserviunt ut *Philosophia*, vel *principales*, quibus inservitur, quarum una tendit ad salutem *temporalem corporis*; ut *Medicina*, altera ad salutem *anime*, ut *Jurisprudencia*.

§. 30. Quod si verò à *principio cognoscendi* initium facere velis, ita res procedet: quæ salutem hominis *temporalem* respiciunt *Facultates*, vel petuntur ex *principio revelationis* pariter & *rationis*, ut *Jurisprudencia*, vel ex sola *ratione*, quarum una est *principalis*, ut *Medicina* altera *instrumentalis* ut *Philosophia*.

§. 31. Jam definitio *Philosophiam*, quod sit *habitus intellectualis instrumentalis ex lumine rationis Deum, creaturas & actiones hominum naturales & morales considerans; & in earum causas inquirens; in utilitatem generis humani*.

§. 32. *Philosophiam* à *Theologia* potissimum differre *principio cognoscendi*, præcipuè notandum est, cum non solum antiquissimis seculis *Philosophia* & *sapientia* *Theologiam* sub se

com-

comprehenderit, sed & tam apud Ethnicos quam Christianos ferè perpetuò fuerint, qui has duas Facultates distinctissimas inter se *miscuerint*.

§. 33. Est verò *mixtum duplex* (1) quando ex *principiis revelationis* deducuntur conclusiones rerum, quarum cognitio tamen dependet à *lumine natura*. (2) quando à *principio rationis* deducuntur conclusiones *mysteriorum fidei*.

§. 34. *Posteriorem* confusionem potissimum admiserunt *Scholastici*, eademque & adhuc hodie frequens est, cum ab ea dependeat, e. g. tota vulgaris *Pneumatica*, de qua suò locò plura.

§. 35. *Priorem* in usu habuerunt non solum *Gentiles Philosophi* in universum, hypothesin de duobus principiis coæternis foventes, sed præprimis *Pythagorica* & *Platonica* Philosophia maximè subnixa fuit revelationibus.

§. 36. *Novissimè* eandem mixtionem adhibent, qui *Philosophiam* quandam *Christianam* fingunt eò videlicet sensu, quod *Philosophia hypothesis* quasdam petere debeat ex *Scripturis*.

§. 37. Unde prior illa mixtura in duas classes subdividi poterit, prout *Philosophia* misceretur cum *revelatione Divinâ* vel *Diabolicâ*.

§. 38. Sunt qui *utrumque* confusionis genus conjungunt eleganti distertio: *Tum demum beatas & quietas foro ecclesias, sicut aut Philosophi* (Metaphysici) *verè dent operam Theologiae, aut Theologi philosophentur. Quod quàm verè*



verè dictum sit, ostendere potest origo hæresium ex duplici confusione in Ecclesia ortarum, ostendere poterit turba pacis Ecclesiasticæ ab ortu Theologiæ Scholasticæ ad nostrâ tempora continuata.

§. 39. Rectius *Verulamius*; *Quemadmodum Theologiam in Philosophia querere perinde est, ac si vivos queras inter mortuos: ita Philosophiam in Theologia querere non aliud est, quàm mortuos querere inter vivos.*

§. 40. Et *istum* quidem modum, Theologiam deducendi ex Philosophia jam notarunt plures; *alter* verò, quo Philosophiæ amnis ex fonte Scripturarum petitur, speciosas magis habet rationes, non tamen veras.

§. 41. Etenim (1) *certum est*, lumen naturæ & lumen revelationis esse fontes diversissimos. (2) *Certum est*, Theologiam regulariter deducendam esse ex Scripturâ seu revelatione divinâ, Philosophiam regulariter ex ratione (3) *Certum est*, eum peccare in regulas analyticas, qui committit *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος*. Ergò (4) *necesse est*, certum esse, eum, qui Philosophica ex Scriptura & Theologica ex ratione deducit, peccare.

§. 42. Quare & ipsi *Peripatetici* unanimiter istam confusionem Philosophiæ cum Theologia impugnant. Duos instar omnium nominino MELCHIOREM ZEIDLERUM Philosophum Regiomontanum, & JOHANNEM NELDELIUM Lipsiensem.

§. 43. Duz

§. 43. Dux tamen h. l. distinctiones non sunt negligendæ (1.) distingvendum est inter *Objectum scientiæ & principia cognoscendi*: (2.) inter *Scripturam*, quatenus continet *mysteria fidei*, & quatenus præter ista considerari potest ut *liber historicus*. Illam confusionem taxamus, qua principia cognoscendi à Philosopho petuntur ex Scriptura, vel qua mysteria fidei, quæ supra rationem sunt, fiunt hypotheses in Philosophia.

§. 44. Neque *argumenta pro PHILOSOPHIA CHRISTIANA*, quæ hypotheses & principia cognoscendi à Theologia petit, quicquam probant. Per argumenta verò intelligimus *rationes*, non *exempla*; est enim vulgatum & in ore omnium: *Exempla non probant, sed illustant*. Quid quod & in exemplis non considerandum quid fiat, sed quam benè. Neque errores Philosophorum titulo peculiari Christianorum superbientium, imputandi sunt innocenti Philosophiæ.

§. 45. Neque tamen etiam exempla adducta magis adversariorum quam nostram sententiam illustant. Distinctio realis inter *subsistentiam & essentiam* non suppeditatur à *Spiritu Sancto*, quin etiam si suppeditetur, nihil inde accedit *Metaphysicæ*, quia Metaphysicus nihil scit, hac parte, sed credit, uti revera nihil scit sed credit, quando audit, dari *principium*, quod nec tempore nec naturâ prius sit *principiatõ*.

piatô. Quare procumbit humi factus **META-  
PHYSICÆ CHRISTIANÆ.**

§. 46. In *Logicis* ideò Propositiones quædam *inufitate* dicuntur, quòd *Logicus* eas non comprehendat, sed credat. Et gloriam vel laudem non meretur factum **VITI WINSEMII**, qui prius deponere professionem suam voluit quàm omittere doctrinam de Propositionibus inufitatis, sed potius evidenter demonstrari potest, quod hoc factum fuerit pedanticum & impium. Unde jacet extincta **LOGICA CHRISTIANA.**

§. 47. Detrahamus etiam larvam **PHYSICÆ CHRISTIANÆ** ac **ETHICÆ.** Jactat illa *concreationem materie*; hæc doctrinam *peccati originalis*. Utraque vane. Nam *Physicus* creationem materie credit, *Ethicus* credit peccatum originis; *Ethica* vetò & *Physica* utrumq; ignorat.

§. 48. Sed ecce paratam habet aliam adhuc larvam **PHYSICA.** Dicit: se *fontes & flumina è mari* majori fiducia deducere, postquam τὸ ὄτι Spiritus S. asseruerit. Nos autem asserimus, ad deductionem fontium & fluminum ex mari *Physicum* non opus habere *Scripturâ Sacrà*, neque per *Scripturam* adjuvari, nisi dicere velis, & eum adjuvari per *Scripturam*, qui statuit, lunam esse majorem reliquis Planetis.

§. 49. De *Angelis* verò malè differit *Philosophus*, & an sint & quid sint, quia est mysterium

um fidei. Vapulat igitur PNEVMATICA CHRISTIANA, quæ de angelorum officiis tutius differit, postquam illud non movendis orbibus cælestibus, sed in ministrando Deo & fidelibus consistere percipit.

§. 50. *Summum Bonum* Theoreticum & Practicum explicuit Aristoteles, etiam si historiam lapsus ignoraverit, neque hæc historiâ opus est ad Summi Boni doctrinam, quoniam irrefutabile principium est, *ne quoad minimum quidem gradum perfectiones status integri per lapsum amissas recuperari posse.* Quod vident & Sophistico more tacent ETHICÆ CHRISTIANÆ propugnatores, & tamen scribere non erubescunt: Ethicam Christianam Summum Bonum in recuperatione Bonorum intellectualium & moralium, prout Theoreticum simul atque Practicum est, indubiè constituere, postquam per jacturam eorum in lapsu se olim tantum Bonum amisisse intelligat.

§. 51. Quare, qui ex horum exemplorum collatione inferre vult, dari Philosophiam Christianam, is eodem modò procedit, ac si quis velit probare, dari chimæram, hõc argumentò: Quodcunq; animal habet caput leonis corpus draconis, caudam capræ &c. id est chimæra. Atqui quoddam animal &c. Ergo. Et minorem *claram oppidò & certam*, quæque nullâ probatione indigeat, velit asserere. Sed hoc faciunt Philosophiæ Christianæ creatores.

§. 52.

§. 52. Non majus robur inest *argumento* ab *autoritatibus* desumpto, quia disputamus in Philosophia rationibus, & existentia rei demonstrari debet, non argumentô topicô probari. Quare ad istam majorem: *Q. modus tractandi Philosophiam à diversissimarum religionum Scriptoribus, ipsisque olim gentilibus est approbatus, ille est bonus: regerimus vulgatum canonem: Multitudo errantium non parit errori patrocinium, & tot Philosophis miscentibus opponimus unum PAULUM Θεόπνευστον confusionem cum Theologia improbantem.*

§. 53. Deinde, quod ipsa *testimonia* attinet, separandi sunt ante omnia illi, qui docuerunt Philosophiam non debere Theologiæ contradicere, ab his, qui eandem deduxerunt ex præsuppositis Theologicis.

§. 54. Quare quod GREGORIUS NAZIANZENSIS *Theologiam* seu religionem Christianam ipsam *Sacra Philosophia* nomine insignivit, huc non pertinet.

§. 55. LACTANTIUS præterquam quod non pauca scripsit, quæ regulis bene ratiocinandi non ex assè conveniunt, condonanda magis ipsi quàm imitanda: videtur potius *in libro de falsa sapientia*, ubi ad *Sophiam* provocat, quæ *divina traditio sit*, impugnare Philosophiam gentilium & eorum mixtionem, eique opponere solam Theologiam, quàm Philosophiam aliquam Theologiæ mixtam. Clamant igitur sub

tortu-

tortura verba Lactantii, dum *divina traditio* exponitur, ac si intellexerit Philosophiam quæ à traditione divina fundamentum suum desumat.

§. 56. SCHOLASTICOS non curamus, ut omnis hujus confusionis in ultimis hisce temporibus autores.

§. 57. Testimonia PONTIFICIORUM, REFORMATO-  
RUM & SOCINIANORUM, si-  
nitas non admittimus sine Scriptura, cur hic ad-  
mitteremus sine ratione?

§. 58. Non malè quidem FROMONDUS: in  
doctrinâ de anima philosophari quem sine  
Theologia non posse, Rectius; philosophari  
planè non posse. MANZIUS verò, ut in vul-  
gus notum est, fuit JCtus exigui judicii, &  
LUDOVICUS DE BEAUFORT nihil de hy-  
pothésibus ex Theologia mutuandis.

§. 59. Ex nostris MEISNERI, KESLERI & ali-  
orum tractatus magis intendunt ostendere er-  
rores Philosophicos aut abusus adversariorum,  
quàm deductionem Philosophiæ ex hypothesi-  
bus Theologiæ. Neque hanc deductionem  
mutuam defendit aut usurpavit B. PATER.

§. 60. GENTILES denique Philosophos pla-  
nè respuimus, utpote qui confusione istâ con-  
spurcarunt Philosophiam. Ut taceam, eos, dum  
quædam insperferunt doctrinis suis ex revela-  
tione, id fecisse ut Theologos, unde & hoc no-  
mine compellabantur.

§. 61. Porro fatemur quidem, istam ma-  
jorem

E

jorem

jorem esse apodicticam; *Q. Philosophia actu datur, illa non est impossibilis*; Sed ubi, ubi inquam, probatum fuit Philosophiam, quæ deducit Conclusiones ex præsuppositis Theologicis actu dari? *Inductionem per partes invertimus*: Logica, Metaphysica, Physica, Ethica &c. Christiana non datur, Ergo. Paucis: Vitia Philosophorum non adscribenda sunt Philosophiæ.

§. 62. Tacemus *absurdum*: Sola Religio hætenus fuit vel orthodoxa vel heterodoxa, Philosophia autem vel vera vel falsa. Sed ex ista Philosophiæ cum Theologia confusione habemus *Philosophiam Christianam orthodoxam & heterodoxam*.

§. 63. Illud tacere non possumus, *Philosophiam Christianam*, quæ Philosophiam *ad Theologiam* applicat, semper *damnosam* fuisse Christianismo, (est enim schismatum & sectarum propè omnium prima scaturigo;) nullum ferè ejus & ne minimum quidem esse usum; neque quoad hæreticos refutandos necessariam esse, sed planè inutilem, consensu SECKENDORFFII, qui eam comparat cum vento, qui dicitur Cæcias.

§. 64. Illa verò *Philosophia*, quæ ex *hypothësis Theologicis* deducit *Conclusiones Philosophicas*, non quidem damnum affert Ecclesiæ, nullam tamen eidem etiam infert *utilitatem*, & turbat insuper *circulos & fines* Philosophiæ & Theologiæ, quas distinctas Facultates in Academia esse voluere Principes. §. 65.

§. 65. Dixi in Definitione Philosophiæ, quòd ipsius *finis* fit utilitas generis humani, intellige *temporalis*, quo ipso (1) discernitur Philosophia iterum à *Theologia*. (2) Negatur, *finem* Philosophiæ *Theoreticæ* ultimum esse *nam* *contemplationem*; nam & ipsa debet subordinari actionibus in utilitatem generis humani vergentibus, quod jam suò tempore ipse agnovit SENECA.

§. 66. Jam *divido Philosophiam*, quòd fit vel *Instrumentalis* vel *Principalis*, quarum illa inservit, hæc non inservit aliis Philosophiæ partibus.

§. 67. *Instrumentalis* occupata est vel circa verba vel circa res verbis expressas. Circa *verba*, vel *vulgaria*, scilicet *Grammatica* & *notitia linguarum*, cujus pars suò modò est *Poësis*; vel *Philosophica*, scilicet *Metaphysica hodierna*. Circa *res* verbis expressas vel intuitu quæstionis, *An sit?* quod facit *Historia*, quæ tanquam historiam fictam iterum comprehendit *Poësin*: vel *quid sine?* ostendendo quidem id vel per verborum magis *elegantiam*, quod facit *Rhetorica*, vel per argumentorum *pondera*, quod *Logica*.

§. 68. *Principalis* est vel *Theoretica*, quæ contemplatur aut *Creatorem*, quatenus is ex lumine naturæ cognosci potest, quod olim fecit *Metaphysica* hodie *prima pars Pneumatica*, aut *creaturam* tum ratione *essentiæ*, quod *Physica* facit, tum ratione *quantitatis*, quod *Mathesis*: vel *Practica*: quæ contemplatur actiones humanas,



quatenus referuntur ad normam honesti vel utilis, quod facit *Ethica, Politica, & Oeconomica.*

§. 69. Quod si tamen tripertitam illam Philosophiæ Divisionem Platonis & Stoicorum, communiter etiam à Patribus probatam, retinere velis, dicere poteris, *Logicam* denotare omnes disciplinas *instrumentales*, *Physicam* omnes *theoreticas*, *Ethicam* omnes *præcticas*, idque nostris Philosophis non adeo est infrequens, quamvis hac parte à mente Platonis & Stoicorum recedant.

§. 70. In singulis istis Philosophiæ partibus antiquitus *dissenserunt* nimium quantum Philosophi, in *Logica de Judicio Veri & Falsi*, in *Physica de principiis verum*, de *Deo*, de *Mundo*, de *Animo nostro*, in *Ethica de Finibus Bonorum.*

§. 71. Applicari etiam communiter solet ad divisionem Philosophiæ divisio vulgò recepta *habituum intellectualium*, in qua quid desiderem dixi alibi fusius, simul verò, quomodo illam emendandam esse opiner.

§. 72. Hos inter est *prudentia*, quam ibidem habitus præctici Synonymum feci, & divisi in prudentiam actionum honestarum, seu Jurisprudentiam late acceptam & prudentiam actionum indifferentium, seu, *prudentiam de arte.*

§. 73. Quod si tamen distinctis Prudentiæ hisce speciebus distincta quoque nomina dare, & illam *prudentiæ simpliciter*, hanc *solertiæ* nomine insignire velis, non repugnabo.

§. 74. Hujus loci verò est illa *posterior Pru-*

*Prudentia seu Solertia, quia cogitare aut ratiocinari haud dubiè est actio indifferens, generi humano utilis & jucunda.*

## CAP. III.

De

# Hominis Differentia à Bestiis & de humanæ mentis Essentia.

## SUMMARIÆ.

- C**onnexio. 1. *homine 12. & desiderata circa eandem. 13.*  
*Hominis Definitio communis. 2. Homo ignorat essentiam suam. 14.*  
 De homine opiniones Platonis & Epicuri 3. Stoicorum item, 4. & Aristotelis. 5. *Communia homini cum aliis rebus. 15.*  
*Differentia hominis ab aliis corporibus quoad structuram machine 16. quoad cogitationes. 17.*  
*Multiplicitas animarum. 6. Hominis due partes. 18. corpus 19. & mens 20.*  
 Tres partes hominis: corpus, anima & Spiritus. 7. 8. *Hominis Definitio illustrata. 21.*  
 Hodiernorum Peripateticorum consensus in doctrinâ de homine. 9. *Sine alterutrâ harum partium homo non existit. 22.*  
 11. *Cartesianorum doctrina de*

E 3

Cor-

Corpus concipere possum  
absque mente vel cogi-  
tatione. 23. 24.

De mente distinctius viden-  
dum. 25.

I. De mente in homine nul-  
lum habeo distinctum  
conceptum citrà refle-  
xionem ad corpus 26.

Probatum ex Definitio-  
ne cogitationum Carte-  
sianâ 27. cujus obscuri-  
tas ostenditur 28. & a-  
liâ clarior proponitur.

29. Cogitatio est actus  
mentis 30. quo homo in  
cerebro. 31. vel mens

32. de schematibus 33.  
per organa sensuum ce-  
rebro impressis 34. per  
modum orationis ver-  
bis constantis 35. ali-  
quid affirmat vel negat

vel querit. 36. Cogita-  
tio est vel strictè dicta,  
vel dubitatio 37. Pro-  
batur ex dictâ Defini-  
tione Κεivόμενον. 38.

II. De mente non possum 1.  
habere conceptum dis-

distinctum ut sit in alio  
corpore, tanquam pars,  
aut in alio ente præter  
corpus. 39.

III. Nec possum concipere  
distinctè mentem prout  
sola existit citrà corpus  
humanum. 40.

Homo ex lumine natura de  
mente nullum conce-  
ptum immaterialitatis  
habet. 41.

In enumerandis operatio-  
nibus mentis & Peripa-  
tetici & Cartesiani def-  
ectu laborant 42. Sunt  
vel fluctuantes vel conf-  
sentes 43. Hæ vel affir-  
mativæ vel negativæ. 44

Prima mentis operatio  
de rei existentia 45. Ex  
cogitationibus de rei ef-  
fentiâ 46. oriuntur se-  
cunda, tertia & quar-  
ta mentis operatio 47.

Cogitatio vera, clara, &  
distincta non sunt Sy-  
nonyma.

Est vel clara vel obscura.  
49. 2. vel distincta vel  
confu-

*confusa* 50. 3. *vel vera*  
*vel falsa* 51.

*Comparantur clara & ob-*  
*scura cum verâ & falsâ*  
52. *item cum distincta*  
*& confusa* 53. *& hæc*

*cum vera & falsa* 54.

*Item clara & distincta*  
*cum vera & c.* 55. *Rur-*  
*sus distincta & vera cum*  
*clara* 56. *deniq; clara &*  
*vera cum distinctâ.* 57.

§. 1.

**S**ed meretur VOX cogitandi & ratiocinandi  
distinctiores cogitationes, quia multi pro-  
fecto nesciunt, quid faciant, quando cogitant.

§. 2. *Homo* haud dubiè cogitat. Sed *Homo*  
quis? *Est animal rationale.* At hoc quid? De  
eo nobis altius videndum, tanquam de re co-  
gnitu maximè necessariâ, & cõmuniter tamen  
vel neglectâ penitus vel erroneè tradita.

§. 3. *Gentilium antiqui* Philosophi circa  
doctrinam de homine in duas extremas clas-  
ses discerni possunt, PLATONICOS, qui  
*animas* immortales tanquam ex essentia Dei  
profluentes statuebant, & EPICUREOS qui  
mortales tanquam ex materia ortas. *Illis*  
*corpus* hominis non pars erat, sed animæ car-  
cer. *His* contra anima non pars hominis, sed  
corporis quasi sal & condimentum, ne putre-  
sceret. *Illis* bestiis etiam ex parte rationem tri-  
buebant; *hi* hominibus ferè rationis usum a-  
dimebant. Quanquam de his duabus ulti-  
mis differentiis res, quantum ad Epicureos,  
majorem dispectionem mereatur.

E 4

§. 4

§. 4. Inter hos mediū STOICI & ARISTOTELES. *Illi* particulas divinæ essentia ignobiliores putabant esse *animas*, igneas ferè quoad essentiam & corpora subtilia, mortales etiam, etsi non statim unà cum corpore eas interire arbitrarentur.

§. 5. *Aristoteles* cum Platone statuit (1) *animam* præexistere corpori. (2) Ex Dei essentia profluxisse. (3) eam constituere cum corpore unum per Accidens. Dissentit, quod Plato statuit tot animas quot homines: Aristoteles unam saltem sub nomine intellectus agentis, quæ corpori ut equus molæ, auriga currui, navis gubernator assisteret, unde & revera ex mente Aristotelis non poterat dici accuratè homo esse immortalis.

§. 6. Ex utriusque tamen & Platonis & Aristotelis dogmate fuit *multiplicitas animarum*, cum uterq; præter *rationalem* animam, de qua hæctenus, agnosceret corporeas, *sensitivam & vegetantem*.

§. 7. Ex horum dogmatum variatione provenit, quod sæpius apud antiquos mentio fiat *trium hominis partium*: *corporis, animæ & Spiritus*, quæ ipsæ tamen ex diversitate hypothesisum diversas accipiunt explicationes.

§. 8. In horum refutatione, ut nos detineamus, non est opus, quoniam destructo fundamentò de duobus principiis coæternis, Deo & materia, tanquam ex perversâ ratiocinatione-

natione & revelatione Diabolica ortò, corrumpunt omnes Conclusiones eidem superstructæ.

§. 9. *Hodierni* PERIPATETICI, Aristotelis doctrinam ex Scriptura emendare intendentes, *duas dicunt esse partes* hominis, animam & corpus, quæ constituent unum per se ex his corpus esse materiale & mortale, animam immaterialem & immortalem, per illud distinguunt homines ab *angelis*, per hanc à *bestiis*, utpote quæ crescant & sentiant solùm, cum homo etiam ratione gaudeat.

§. 10. *Dissentiunt* circa originem animæ humanæ & circa ejus unitatem. *Deficiunt* ferè in dandâ perspicuâ Definitione corporis & *anime*, potissimum *rationalis*, nisi quod communiter consentiant, eam esse *potentiam cogitandi*.

§. 11. *Qui defectus* uti jam sunt notabiles, ita præprimis in horum doctrina desideramus (1) quòd *confundant* Scripturam cum Philosophia. (2) Quòd *non tradant* Genuinam & evidentem differentiam brutorum & hominum.

§. 12. Sequuntur CARTESIANI, quorum non pauci à confusione Theologiæ cum Philosophia abstinere intendunt. Atque hi, quatenus Cartesium strictò pede sequuntur, de homine ita: Præsupposito (1) quod de omnibus rebus *dubitandum* sit ad investigationem veritatis, etiam de iis, quæ, *vigilantibus* nobis, *sensibus* nostris *proximè* præsentantur, etiam de *corpore ipsò hominis*, (2) Certum dicit sibi esse Cartesius,

quod cogitet, quoniam hujus cogitationis, immediate & absque ope sensuum sibi fit conscius, & etiam, dum dubitet, cogitet, unde (3) hoc *primum* principium esse dicit: *Ego cogito, ergo sum*, & quidem (4) *res cogitans*. Hôc impetratô postea (5) meditatur corpus suum, quod dicit; ut alia corpora omnia, esse *Substantiam extensam*. Mentem autem seu *cogitationem à corpore* realiter distinctam esse: (6) Exinde colligit, quod conceptus *cogitationis* non in volvat conceptum *extensionis* & accidentium *extensionis*, motus, quietis, figuræ &c. (Conceperat enim mentem seu cogitationem, cum dubitaverat adhuc se habere manus & pedes.) Ergo cum ita non possit non mens humana (7) esse *immaterialis*, dicit simul omnem essentiam *Substantiæ immaterialis* seu spiritus consistere in cogitatione & (8) mentem humanam semper *actu cogitare*, etiam in infantibus, & profunde dormientibus, eamque (9) esse *immortalem*, quia mors seu interitus fit mutatio figuræ in *Substantia extensa*; (10) Hominem verò à bestiis differre, quod *in bestiis* fit mera *extensio* cum accidentibus, ex quorum artificiali-structura, quatenus per motum corporum extrinsecorum impulsus in corpora bestiarum fiat, deducenda fit eorum *Locomotiva*, absque sensu vero, quippe cum *sensio vera* sensuum interiorum (11) sit *modus cogitationis*.

§. 13. Sed hic quidem (1) nunquam impetrabit **CARTESIUS**, dubitari posse de his, quæ *distinctè* offerantur *sensibus*, certè non de corpore hominis, quia & de hujus existentia homo intrinsecè sibi est conscius. (2) Eadem *fictio*, quâ Cartesius fingebat, se non habere corpus, poterit ipsi opponi, si dicat se certum esse, quod cogitet. Et quid si negem, *dubitationem esse cogitationem*? Sanè qui dubitat, certò sibi conscius non est. At *cogitatio ipsi definitur, quod sit omne illud, quod ita in nobis est, ut ejus immediatè conscii simus.* (3) *Ego cogito, ergo sum* non esse primum principium suò locò videbimus. Adde quod hoc *ego* sit obscurum & in eo jam videatur Cartesius quid affirmare. Quod si is est sensus: *Sum, quia cogito*, poterat etiam dicere, *sum, quia manus & pedes habeo.* Quod si æquipollet isti: *Sum*, tanto apparatu non erat opus. (4) Dum rem cogitantem opponit corpori, vestigia Platonis premit, quasi homo sit saltem mens. Et majori certitudine poterit inferri, *ego, qui corpus habeo, cogito, ergo sum corpus cogitatione præditum.* (5) Quod corpus Substantiam *extensam* vocet, tolerari posset, modò non dixisset *extensionem* esse ipsam Substantiam corporis, cum tamen asserat *corpus esse subiectum extensionis.* (6) Collectio, quod *mens à corpore realiter distincta sit*, non procedit, tum quod



quod illa non semper sint realiter distincta, quorum conceptus unus altero non involvitur; ita extensio non infert motum, cogitatio sensationem &c. tum quod non debebat dubitare Cartesius, an habeat manus, pedes &c. tum quod cogitatio omninò involvat conceptum extensionis ex Definitione Cartesii. Nam totus homo, adeoque & corpus simul ejus est conscius, & fortè solum corpus intrinsecè spectatum. (7) Hinc cadit demonstratio, quod mens sit *immaterialis*, & quod essentia *Spiritus* consistat in cogitatione. (8) Negamus, animam acta cogitare in *infantibus* & *profundè dormièntibus*. Rursus verò (9) cadit demonstratio, quod mens ex naturâ suâ sit immortalis. (10) *Bestias non cogitare* admittimus, & motum externorum corporum, motui animali occasionem dare concedimus, non verò, absque aliquo *principio bestiis intrinseco*, motus animalis veram causam esse arbitramur, quamvis (11) certum sit istud principium internum non esse *sensum*, prout sensus vulgò definitur.

§. 14. Jam quid nos dicemus? Postulamus dari *formas rerum substantiales, easdem tamen omnes ab homine ignorari*, quorum utrumq; suò locò demonstrabitur. Ex hoc Postulato sequitur quod *homo nec suam essentiam noscat, neq; essentiam partium suarum*, sed harum partium saltem modos quosdam existendi. Has partes considerat vel per abstractionem *seorsum* vel *conjunctim*.

§. 15.

§. 15. *Seorsim* deprehendit in se esse aliquid, quod cum aliis creaturis habet *commune*, sive consideret *structuram externam* partium, sive *principium internum motus*. Quemadmodum enim partes exteriores æquè extensæ sunt ut in reliquis corporibus: ita reliqua corpora mixta motorem aliquem internum habent, quem, sive velis *Spiritum* appellare in significatione Physicis in doctrina de animalib<sup>9</sup> non inusitata, sive *principium vitale*, perinde est, modò notes, hos terminos omnes significare saltem rei alicuj<sup>9</sup> existentiam, non verò essentiam ejus exprimere.

§. 16. Sed deprehendit tamen etiam homo *differentiam* aliquam mirabilem inter se & reliqua corpora, initio si *modos existendi corporis* sui consideret, à *mineralibus* quidem, quod habeat partes dissimilares, à *plantis*, quod habeat organa apta ad motum localem, item recipientia motum subtilem corporum externorum excitantium principium motus internum (quæ vulgò *organa sensuum* vocantur) à *bestiis* denique, quod non solum *figuram externam* corporis sui videat differre à figura bestiarum omnium, sed & quod infinitam in sua specie deprehendat *facierum* variationem, quæ in bestiis deficit, ac præterea secundum quorundam opinionem, quòd duplâ ferè proportionem (relatâ ad reliquam corporis quantitatem) & ultra plus cerebri habeat quàm aliæ bestię.

§. 17. Præterea *intra* se deprehendit aliquid

quid, quod in reliquis corporibus non apparet, facultatem nempe imagines & schemata corporum externorum per motum eorundem cerebro impressorum, apprehendendi, easque conferendi inter se, & dijudicandi, unô verbô cogitandi.

§. 18. Quæ singula si ponderet secum homo, infert, se potissimum ex *duabus partibus* constare, unâ, qua convenit cum reliquis corporibus & bestiis, quæ propterea etiam nomen commune *corporis* retinet, altera, quâ differt à reliquis corporibus omnibus, & potissimum bestiis, quam vocabimus cum antiquis, ut LACTANTIO, & hodie CARTESIANIS, *mentem*.

§. 19. *Corpus* hominis definimus, quod fit substantia extensa principio vitali operationes suas partim per motum intrinsecum, partim extrinsecum exercente præditum.

§. 20. *Mens* hominis est Ens, quod cogitare potest.

§. 21. Quatenus verò has partes conjunctim concipio, *hominem* aliter perspicuè definire non possum, quàm quod sit Substantia corporea Locomotivâ & facultate cogitandi prædita.

§. 22. Concipio verò has partes tanquam *essentiales*, ergo non possum mihi concipere hominem sine conceptu utriusque, unde sequitur, quod nec *mens* homo sit absque corpore, nec *corpus* sit homo absque mente.

§. 23. Alia est quæstio, *an possim concipere distinctè unam harum partium absque modis alterius partis?*

*partis?* De corpore fortè nullum est dubium, quin istud absque mente vel ejus modo concipere possim, non solum, quà est conceptus genericus & in aliis speciebus præter hominem, v. g. *in bestiis* deprehenditur, sed etiam quatenus refert se ad individua hominis; Ita concipio *infantes, furiosos, profundè dormientes* absque modo cogitandi.

§. 24. Sed tamen in eo differentia est, quod conceptus iste *corporis genericus* sistat mihi *corpus aliud* quàm hominis, adeoque planè non reflectat ad mentem; at conceptus *corporis humani* in infantibus &c. sistat mihi *corpus humanum* quidem mente præditum, sed tamen *absq; modo mentis & actione*, scilicet cogitatione.

§. 25. Videamus an idem dicere possimus de mente: & nempe *an mentem concipere possimus distinctè citra hominem*, quatenus nempe vel *sola* existat absque corpore humano, vel *in alio Subjecto* præter hominem ut pars subsistat? tum an *in homine* demente conceptum distinctum habeamus *citra reflexionem ad corpus aut ejus modum*.

§. 26. Incipiamus de ultimo, statuentes in homine de mente nos nullum habere conceptum distinctum *citra reflexionem ad corpus*, quia mentem non concipimus aliter quàm per modum cogitandi.

§. 27. Connexio firma est, etiam si arripias Definitionem cogitationis, quam CAR.

TESIUS

TESIUS *suppeditat*, cogitationis nomine illud omne complectens, quod omninò in nobis est, ut ejus immediatè conscii simus. Id enim, *in quo* est cogitatio & *quod* conscium cogitationis est, anima esse non potest ipsa, nam aliàs anima (ex hypothesi CARTEsii, qui cogitationem vult esse ipsam animam) in se foret aut sui ipsius conscia, ergò necesse est ut sit corpus aut certè homo corpore præditus.

§. 28. *Sed obscurior est illa Definitio Cogitationum* CARTESIANA, quia exprimit saltem existentiam rei alicujus absque ulla mentione modi existendi, adeoque idem est ac si Cartesius dixisset, cogitationem seu animam esse Ens, nisi quod per τὸ immediatè excludat principiata cogitationum, v. g. motus hominis voluntarios.

§. 29. Ergo demus aliam clariorem: *Cogitatio est actus mentis, quo homo vel mens in cerebro de schematibus à motu corporum externorum per organa sensuum cerebro impressis aliquid per modum discursus & orationis verbis constantis vel affirmat vel negat vel querit.*

§. 30. Dico *actus mentis*; quia mens ipsa est cogitationis Subjectum, etiam ex hypothesi ipsius Cartesii, & quia deprehendo in furiosis & infantibus, etiam si corpus hominis actus suos exerceat, cessare tamen cogitationem etiam ex Definitione cogitationis CARTESIANA,

SIANA, quia furiosi & infantes nullius rei sibi sunt conscii.

§. 31. Dico: *in cerebro*, quia certum est, membra exteriora non cogitare, ex interioribus autem Subjectum mentis *non esse cor*, sed *cerebrum* demonstrarunt CARTESIANI & noviores Medici.

§. 32. Dico: *Homo vel mens*, utrumque rectè. Mens enim est Subjectum proprium, homo commune. Ita de visu dico, quod homo & oculus videat &c.

§. 33. Dico: *de schematibus*, id est, de imaginibus, uti Cartesiani loquuntur, modò per imagines intelligas etiam schemata reliquorum sensuum præter visum, secus ac faciunt CARTESIANI, quærentes v. g. quam imaginem habeam de verbo *est* & *non est*.

§. 34. Dico: *per organa sensuum cerebro impressis*: quia non poterit dari instantia conceptus sine hac impressione, & facilis est responsio ad CARTESIANORUM instantiam de conceptu *chiliogoni* & *cogitationis* ipsius

§. 35. Dico: *per modum orationis verbis constantis*, nam hic iterum peto ostendi mihi unicum exemplum à CARTESIANO, quid cogitet, si non per verba cogitet, aut quid cogitaverit, antequam verba intellexerit; aut quid cogitent illi, qui surdi nati sunt; & quales inter hos adultos & infantes sit differentia quoad actum animæ, cujus quidem existentiam non  
F nego,

nego, sed assero tamen, me & Cartesianum nescire, in quo consistat eadem; imo me scire, quod ille actus non possit esse cogitatio.

§. 36. Dico: *Affirmat vel negat vel querit*: Nulla est cogitatio termini simplicis, & semper, dum cogito, vel quero prædicatum aliquod de subjecto, vel illud adstruo, aut destruo, ad minimum existentiam.

§. 37. Unde *cogitatio* poterit dividi in cogitationem *strictè* sic dictam & *dubitationem*.

§. 38. Igitur, ut in viam redeamus, necesse est, quam diu mentem per modum cogitandi concipimus, *ut de ea non habeamus Conceptum distinctum citra reflexionem ad corpus*. Huc enim respiciunt in Definitione cogitationis nostra: *intra se: in homine: motus corporum externorum: Organa sensuum: erebrum: oratio verbis constans &c.*

§. 39. Porro ex eo, quod per modum cogitationis differat homo à reliquis corporibus, sequitur necessariò, quod *de mente non possim habere conceptum distinctum, ut sit in alio corpore tanquam pars, nec in alio Ente præter corpus*, partim quod de illo alio Ente non habeam conceptum distinctum citra effectus corporeos, adeoque citra revelationem nesciam, quale sit illud Ens, partim quod si illud aliud Ens non est corporeum, non possim in eo concipere cogitationem, tanquam inseparabilem affectionem mentis.

§. 40. Denique multò minus possim  
distin-

distinctè concipere *mentem*, prout *sola existat*, id est, *citra corpus humanum*, & non tanquam pars alterius Entis, tum, quod ita nullum possim habere conceptum distinctum cogitationis, & modi, secundum quem mens existat, tum quod in ipso homine conceptum specificum non habeam distinctè de mente, utrum sit substantia, an modus corporis. Unde & supra mentem definivi per *Ens*.

§. 41. Fluit ex dictis necessariò, quod de mente ex lumine rationis homo nullum conceptum immaterialitatis habeat, unde simul necesse est, argumentū CARTESIANORUM pro immortalitate anime ex naturâ cognoscibili, utpote quod tantum imaterialitate nititur, suâ sponte corruere.

§. 42. Est frequens litigium de operationibus mentis earumq; numerò; si tamen dicendū, quid sentiam, & PERIPATETICI & CARTESIANI defectus laborant, omittentes videlicet dubitationem.

§. 43. Ergo dico, operationes mentis alias esse fluctuantes, alias consistentes. Utræq; vel de rei alicujus existentia vel de essentia sunt. Fluctuantes omnes commune nomen dubitationum retinent, & ad consistentes comparatæ ignobilius cogitationum genus formant.

§. 44. Consistentes sunt vel affirmativæ, vel negativæ.

§. 45. Consistentes affirmativæ, quæ sunt de rei existentia, dici possunt prima mentis operatio, quia existentia primo movet sensus.



§. 46. Consistentes de *rei essentia* vel *abstractant* modos existendi à subsistentia individuorum, vel has abstractiones inter se *comparant*: vel individua *numerant* & *metiuntur*.

§. 47. Utræque vel *simpliciter judicant*, vel *rationem judicii adjungunt*, vel *plura judicia* & *rationes ordinant*. Unde habes *secundam*, *tertiam* & *quartam* mentis operationem.

§. 48. Sunt & alix cogitationum divisiones, eæque varix, hic propter CARTESIANOS maximè proponendæ, eas sæpius inter se miscentes, atque cogitationem sive cognitionem seu conceptum verum, clarum & distinctum Synonymicè usurpantes.

§. 49. Scilicet cogitatio alia est *clara*, alia *obscura*: *Clara* est, quæ immediatè per organon sensus exterioris incitatur. *Obscura*, vel si *major*, *non clara*, quæ fit per abstractionem aut compositionem, unde omnis conceptus *existentia* clarus, *essentia* non clarus, & quo major fit abstractio & compositio, eo obscurior fit cognitio. Eadem quoad rem cum hac cogitationis divisione est, si eandem distingvere velis in *Crassam* & *Subtilem*, modò notaveris, crassam esse claræ cogitationis, & subtilem obscuræ Synonymon.

§. 50. Porro alia cognitio est *distincta*, alia *confusa*. *Distincta* partium, *confusa* totius; partium quò major distinctio, eò magis cognitio distincta.

§. 51.

§. 51. Denique cognitio vel *vera* est vel *falsa*. *Vera*, quæ convenit cum primo cognoscendi principio, aut est ipsum principium, *Falsa*, quæ contrà se habet.

§. 52. Jam comparo has divisiones inter se. Primò: *omnis cognitio clara est vera, sed non contra*. Ita verum est, *hominum cogitare, sed non clarum est*. Vice versa, *omnis cogitatio falsa est obscura, sed non contra*. Ita obscurius est, *hominem esse speciem, hominem cogitare, sed non falsum est*.

§. 53. Secundò: *non omnis cognitio clara est distincta & vice versa*. *Nec omnis cognitio obscura est confusa & vice versa*. Ita cognitio *mente clara est, sed non distincta*. Ita cognitio *partium pro indiviso distincta est, sed non clara*.

§. 54. Tertiò: *non omnis cognitio vera est distincta aut vice versa*. *Nec omnis cognitio falsa est confusa aut vice versa*. Ita *canem v. g. existere verum est, sed confusum*. Ita cognitio, quòd *homo habeat sex digitos distincta est, sed falsa, aut quod chimera habeat caput leonis &c.*

§. 55. Unde sequitur, quòd *nihil quidem possit esse clarum & distinctum, quod non sit verum, possit tamen aliquid esse obscurum & confusum, quod non sit falsum, v. g. conceptus cogitationis in homine, chiliogoni.*

§. 56. Item quintò, *quod possit quidem aliquid distinctum & verum esse, non tamen clarum, v. g. mens hominis cogitat, nihil tamen confusum & falsum, quod non sit obscurum.*

§. 57. Denique sextò poterit aliquid verum & clarum esse, non tamen distinctum, e. g. Petrus existit; item aliquid falsum & obscurum, non tamen confusum, e. g. caput chimerae esse caput leonis.

## CAP. IV.

De

# Prudentia cogitandi & ratiocinandi.

## SUMMARIA.

**P**rudencia ratiocinandi pertinet ad Philosophiam rationalem. 1. Inventores ejus an primi parentes, an Jobus? 2. Apud Gracos ejus aestimatio, intuitu Pythagoraeorum, Zenonis Eleatis, Epicuri. 3. Socratis. 4. Cyrenaicorum, Eretriorum, Megaricorum. In 5. Platonis. 6. Tres inventores Logicae apud Gracos, Zeno Eleates, Socrates, Plato. 6. Quanti habita Logica à sectatoribus Academiae mediae & reliquorum. 7. Quid in ea praestiterit Aristoteles 8. Cynici item 9. & Stoici, atq; ex his potissimum Chrysippus. 10. Variantes de eà opiniones Phariseorum, Sadducaeorum & Essenarum. 11. Fatum ejus apud Romanos. 12. Germanià potissimum quatuor Dialectice memorabiles. 13. (1) Scholasticorum. 14. (2) Melanchthonis, 15. (3) Ramistarum 16. (4) Cartesianorum 17.

Lo-

- Logica & Dialectica vocabulum homonymum, Etationem ratiocinationis juxta & utilis.* 28.
- 18.19.20. Unde & varia *Logica necessitas.* 29.
- Logica predicata atq; Ejusd. abusus.* 30.
- Definitiones 21. Logica Prudentia ratiocinandi sua ars artium & scientia scientiarum. ibid. modo est prudentia sciendi. Zquierdo ars sciendi.* 31.
- Lites Scholasticorum inepta de Genere Logica. Per finem differt Prud. ratioc. à Rhetorica & Definitiones Philippi, Rami, Autoris artis cogitandi.* 22. *Grammatica.* 32.
- Logica Divisiones secundum Ciceronem, Rationem, Peripateticos. Ex illis Prudentia ratiocinandi dividitur in partem communem & propriam.* 33.
- Vossium, 23. Autorem artis ratiocinandi, Stoicos, Augustinum 24. Pars communis quid tractare debeat. Comprehendit Prud. ratioc. Canonicam, No- Chaugbergium & Weis- ologiam, Gnostologiam, Metaphysicam.* 34.
- sum. 25. Nostra Definitio Prudentie cogitandi & ratiocinandi 26. 35.*
- Cur dixerimus: Prudentia ratiocinandi, & Contenta partis specialis: quomodo Prudentia nostra differat à Logica. & connexio doctrinarum in ea.* 36.
27. *Corollarium tractationis de pedantismo.* 37.
- Non esse omitendam tra-*

## §. 1.

**P**rudentia cogitandi & ratiocinandi, si triper-  
titam Philosophiæ divisionem respicias,  
haud dubiè ad *rationalem* pertinet, quæ  
communiter *Logica*, item *Dialectica* voce infi-  
gnitur.

§. 2. Sunt, qui non dubitant, eam etiam  
à PRIMIS PARENTIBUS cum reliquis disci-  
plinis posteris esse traditam. Alii modum di-  
sputandi & solvendi sophismata ad JOBUM re-  
ferunt, cujus liber plenus disputationum est.

§. 3. *Philosophos Græcos* quod attinet, in-  
ter PYTHAGOREOS Dialecticæ usum non  
floruisse *Aristoteles* testis est, non pauci tamen  
ZENONEM ELEATEM Dialecticæ invento-  
rem constituunt, quem & ipsum ex Philoso-  
phia Italica Pythagoreorum suprâ derivavi-  
mus, uti rursus Eleaticæ sectæ surculus EPI-  
CURUS Dialecticam tradere omisit, ejus lo-  
cô *Canonicam* paucissimis regulis constantem  
subjiciens.

§. 4. In IONICA secta ante Socratem Lo-  
gica ferè fuit incognita, quare & *Galenus* &  
quodammodo *Apulejus* SOCRATI inventio-  
nem Dialecticæ & Ethicæ tribuunt.

§. 5. Ex discipulis Socratis novarum se-  
ctarum autoribus CYRENAICI an Logicam  
contempserint, scriptores antiqui non conve-  
niunt. De ERETICIS seu ELIACIS minus con-  
stat, nisi quod locus Senecæ conjecturam præ-  
beat

beat non levem, eos Logicam contempfisse, vel certè eandem ad contentiones inutiles & sententias aliorum sophisticè refutandas usurpasse, quod & faciebant MEGARICI, qui propterea *Eristici* & *Dialectici* sunt appellati.

§. 6. PLATONI inventionem Logicæ tribuit *Phavorinus*, ut adeò jam tres inventores Dialecticæ habeamus: *Zenonem Eleatem, Socratem & Platonem*. Videlicet *Zeno* Dialecticæ *Eristicæ* & contentiosæ primus autor fuit. *Socrates* videtur initia jecisse Logicâ utendi ad inquisitionem veritatis & *Aristoteli* commendatur tanquam gnarus definiendi & dividendi. *Plato* primus nominavit Logicam inter partes Philosophiæ & doctrinam *Socratis* scriptis publicavit.

§. 7. Ex Platonis discipulis *mediæ Academiæ* conditor *ARCESILAS* à *Diodoro Crono*, *tertiæ* fundator *CARNEADES* à *Diogene Stoico* Dialecticam didicerunt. De *quartæ* & *quintæ* *Academiæ* propensione in Dialecticam non fiunt dubitare ea, quæ suprà de illis recensuimus.

§. 8. Sequitur *ARISTOTELES*, cui non pauci Logices inventionem attribuunt, quod videlicet plenius ac *Plato* eandem tradiderit atque in formam artis redegerit, & doctrinam *Analytices* potissimum primus docuerit, quam *Augustinus* *Platonicam* ratiocinationem *Aristotelicam* longè præferat.

§. 9. CYNICI verò in solam Philosophiam moralem intenti *rationalem*, naturalemq; non negligebant saltem, verùm etiam ut inutiles tollendas esse censebant.

§. 10. STOICI contra, etsi magnam partem Cynici, Dialecticæ tamen maximâ ex parte erant dediti, adeò ut solum Logicum sapientem dicerent, quamvis ipsi Zenonis successores Dialecticam in Sophisticen converterent. Præ reliquis verò in Dialecticis post ZENONEM CHRYSIPPUS maximè fuit illustris, qui solius Logicæ partis volumina trecenta undecim reliquit, in tantum, ut vulgò jactaretur: Si Diu vellent Dialecticâ uti, Chrysippæa usuros, quam Aristotelicam Chrysippeæ multis ex capitibus præferat Vossius.

§. 11. Ex dictis jam patet, cure ex sectis Judæorum PHARISÆI sophismatibus & quæstionibus acutis dediti erant, SADDUCÆI verò ineptos disputatores repræsentabant, ESSENI denique rationalem Philosophiam tanquam non necessariam negligebant. Erant enim illi Stoici, isti Epicurei, hi Cynici.

§. 12. Apud Romanos Philosophia rationalis genuina & quæ veritatem pro scopo habet, non ab initio videtur magni æstimata fuisse; unde quidam memorant *ab Aristotelis & Theophrasti temporibus ad Ciceronem usq;* nullum Systema Logicum prodisse sive apud Græcos sive apud Latinos, ipse tamen CICERO insigne hæc de re opusculum Trebatio inscriptum edidit. §. 13.

§. 13. A tempore reſtaurationis bonarum literarum, in *Germania* potiffimum, præ reliquis caput erexerunt *Dialectica Scholaſticorum*, *Philippi Melanchthonis*, *Petri Rami* & *Carteſianorum*.

§. 14. Antiquiffimam originem *Dialecticæ SCHOLAſTICORUM* fortaffe *RUCELINO* Nominalium Proavo imputare convenit. Sanè ejus diſcipulus *PETRUS ABELARDUS* diſertim *Dialectici* nomine tanquam vitio notatus fuit; unde facilè patet, quod jam antiquis illis temporibus *Dialectica Scholaſticorum* in *exceſſu* laboraverit. Quantum verò ineptiarum ſophiſtæ illi doctrinis ſuis admiscuerint, & de quibus rebus altercati fuerint, fuſius enarrat *Ludovicus Vives*, & plures alii, colligendo plura exempla futilium illarum quæſtionum oſtenderunt.

§. 15. Hanc ineptam *Dialecticam* cum laude emendare aggreſſus eſt *PHILIPPUS MELANCHTHON*, idque præſtitit, quantum ad *præcepta* attinet, quod illa ſcholaſticorum ſpinofa & barbara reſecuerit, priſcamque *Ariſtotelis* mediocritatem, quantum potuit, reduxit; imò & ſupplevit ea, quæ ab *Ariſtotele* neglecta videbantur. Quantum ad *exempla*; quod utilibus, perſpicuis, ſuo tempori accommodatis fuerit uſus, cum *Scholaſtici* meras nugas locò exemplorum afferrent.

§. 16. *Logica RAMÆA* in eo potiffimum notabilis eſt, & à *Philippæa* diſcrepans; (quamvis



vis non pauci Ramistæ ediderint Logicam Philippæo-Ramzæm) (1) quod Ramus *duas Logica partes* faciat, inventionem & iudicium, ab *inventione* incipiendo. Philippus contra methodum Syntheticam secutus à iudicio ad inventionem progreditur. (2) Ramus omisit *Predicamenta*; *Predicabilia* verò alienis locis & sparsim in sevit, ac parum sollicitus fuit de conditionibus bonæ *Definitionis & Divisionis*. (3) Ramus replet omnia solis poetis & oratoris *exemplis*. At Philippus exempla adfert ex omnibus artibus & disciplinis.

§. 17. CARTESIANI uti quoad primum ratiocinandi principium à reliquis hodiernis Philosophis abeunt, & ad *Platonismum* magis inclinant; ita Cartesianus aliquis editâ Logicâ sub titulo *artis cogitandi* Gallicò idiomate conscriptâ, sed postea in linguam Latinam translata, Dialecticam in quatuor partibus secundum quatuor mentis operationes ad Philosophiam Cartesii accommodatis proposuit, præter multa alia in eo potissimum à vulgaribus Peripateticorum Logicis recedens, quod (1) *ambages* eorum & prolixas ineptas subinde detegat, (2) in parte primâ plurima de *ideis* tanquam fundamento Philosophiæ Cartesianæ differat, (3) *quatuor* Syllogismi figuras doceat, & (4) in parte quartâ de methodo, simul de *scientia & regulis* ad eam perveniendi tractet.

§. 18. Sed non ubique *Logica & Dialectica*

VOC-

vocabulum, eodem modo fuit suppositum. *Platoni* non solum hoc nomine venit ars differendi, sed etiam *Metaphysica* seu *Theologia*, qui significatur quoque aliquoties occurrit apud *Macrobius*.

§. 19. Quam Theologiae opponitur, velle accipitur, ut præter differendi rationem sub se comprehendat *Grammaticam* & *Rhetoricam*, vel strictè, ut his duabus opponatur.

§. 20. Et tunc iterum vel *Logica* & *Dialectica* convertuntur, vel *Logica* sumitur pro *tota* disciplina, *Dialectica* pro aliqua ejus parte, quæ *Analytica* opponitur, & quidem, ut aut *Sophistica* opponatur, & eadem sit cum *Topica*, prout *Peripateticis* usurpatur, aut *Topicam* & *Sophisticam* tanquam species sub se comprehendat, uti supponitur *Vossio*.

§. 21. Unde jam facile intelligere poteris varia *Dialecticæ* & *Logicæ predicata* aut *Definitiones*. Sic frequenter solet appellari *ars artium* & *scientia scientiarum*, quod prædicatum per errorem à significato *Dialecticæ* pro *Theologia* ad *artem ratiocinandi*, neque sic tamen male, fuit applicatum.

§. 22. De *Genere Logicæ* ineptas disputationes relinquam SCHOLASTICIS, utrum nempe logica sit ars, an facultas, an scientia, an scientia practica, an habitus instrumentalis? *PHILIPPUS* *Dialecticam* definit, quod sit ars sive via rectè, ordine & perspicuè docendi. *RAMUS*, quod sit ars bene differendi, **AUTOR artis**  
cogitan-

*cogitandi*, quod sit ars bene utendi ratione in rerum cognitione acquirenda tam ad sui ipsius quam aliorum institutionem, cum qua ferè convenit **Definitio VOSSII**. Alii aliter.

§. 23. Variant etiam nimium quantum in *Logica Divisionibus*, inter quas potissimum tres eminent, prima est **CICERONIS & RAMISTARUM** in *inventionem & iudicium*; Secunda communiter eorum **PERIPATETICORUM**, qui exstructione Syllogismi solùm sunt contenti, in *partes tres* pro diversitate trium mentis operationum; tertia eorum, qui insuper ad materiam, circa quam Syllogismus occupatur, respiciunt, in *partem communem*, quæ partes tres modo memoratas complectitur, & *propriam*, agentem scilicet de *Syllogismo Demonstrativo, Topicò & Sophistico*, à qua parum abest divisio **VOSSII** in *Stichologicam & Syllogisticam*, Syllogisticæ in *Analyticam & Dialecticam*, Analyticæ in *priorem & posteriorem*, Dialecticæ in *Topicam & Sophisticam*.

§. 24. De partitione **AUTORIS artis cogitandi** suprâ jam diximus. **STOICI** Logicam dividebant in duas partes, in *verba & verborum significationes*, hoc est, in *Rbetoricam & Dialecticam*, quibus alii addebant *Definitivam*, quæ est de regulis & iudiciis, quorsum etiam respiciebat *Canonica* **EPICURI**. **AUGUSTINI** Divisionem in quatuor partes de *loquendo, eloquendo, proloquendo & proloquiorum summa*, etiam à Stoicis petitam esse conjectatur **Vossius**,  
sed

sed mihi videntur illæ quatuor partes Augustini exprimere quatuor mentis operationes.

§. 25. Maximè verò præ reliquis nobis aridet Logicæ distributio JOHANNIS CLAUBERGII in partem *geneticam*, quæ mentem humanam ducat ad rectam formationem seu genesis suarum cogitationum, & *Analyticam*, quæ ad convenientem resolutionem seu Analysis cogitationum alienarum. Utramque subdividit, *geneticam* quidem in *cogitantem*, quæ disponat hominem in relatione ad seipsum, seu ut ipse quidvis rite cognoscat, atque adeo, ut regatur sermone internus seu cogitatio, & *loquentem*, quæ dirigat hominem ad alios, ut cum iis cogitata aptè communicet & regat sermonem externum seu orationem. *Analyticam* verò in *interpretantem*, ut intelligamus & verum sensum cognoscamus externi sermonis, & *judicantem*, qua percipiamus, an cogitata talia sint, qualia esse debeant, sive, ut verum à falso in sermone interno discernamus. Cum qua distributione ferè convenit divisio Clarissimi WEISSII in partem *theoreticam*, quæ de *Enunciatione, Syllogismo & termino simplici*, & *practicam*, quæ de acquirendâ rerum *notitia, metodo, interpretatione & artificio disputandi* agat.

§. 26. NOS igitur prudentiam cogitandi & ratiocinandi *definimus*, quod fit *prudentia cogitationes nostras dirigendi ad veritatis consecutionem in rebus naturalibus & moralibus, easque aliis*

*aliis iterum communicandi, aliorum verò rationes rursus percipiendi, & cum iis cogitationes nostras mutuo conferendi, idque aptè, justè & utiliter.*

§. 27. Dico prudentia cogitandi & ratiociocinandi non cogitandi simpliciter, quia prudentia cogitandi in genere Rhetoricam & Grammaticam sub se comprehendit, nos verò prudentiam nostram ab his duabus disciplinis volumus esse separatam, quam adeò si Logicam unò verbò appellare velis, non refragabimur, modo memineris, eam *latius* patere quàm reliquas omnes hactenus recensitas. Ut alia taceam, reliquæ non docent ratiocinari *justè & utiliter*, neque in Logicâ, neque in disciplinâ aliâ.

§. 28. Neque tamen doctrina de ratiocinatione *justâ & utili* est omittenda, quia hæc ommissio parit multa damna in Republica, puta atheismum, confusionem religionis cum ratione, pedantismum.

§. 29. Quare quoad Logices studium maximè cavendum est, ne id aut *negligamus nimis*, aut *nimis extollamus*. Et enim cum Philosophiæ sit, afferre rerum causas, ac causæ ratione sint indagandæ, ratio autem, nisi adjuvetur, sæpe aberret, omninò *neceffe est* præmitti reliquæ Philosophiæ doctrinam rationem dirigendi. Unde & CICERO ac alii eam sepimento comparant, ut adeò non habeamus opus cum CONIMBRI-CENSIBUS ineptire, quasi Logica inventa sit ad supplendum id, quo ab angelis separamur.

An

An verò Logica *instrumentum* saltem sit Philosophiæ, quod ARISTOTELES docuit, an simul *pars*, ut PLATO, disceptare relinquimus hominibus otiosis. Nobis certè sententia Platonis non inepta videtur; neque enim repugnat partem simul & instrumentum esse, exemplò manus.

§. 30. E contrario, qui Logicam saltem pro arte *differendi probabiliter* in utramque partem de quavis re proposita habent, aut propter *falsitias* vel *inutiles & spinosas* quæstiones eidem incumbunt, illi ratione maximè abutuntur. Etenim Dialectica, uti alias expedit disciplinas; ita si sola fuerit, jacet exangvis & sterilis, nec ad fructum Philosophiæ sæcundat animum, si aliunde non concipit. Hinc PLUTARCHUS verè & scitè illos Philosophos canibus comparat, qui laniare & vellicare avidi soli Logiciæ adhærescunt ut pelli, & in ea rixantur & mentem ad ulteriora non mittunt, à quo non ablu dit istud vulgatum: *Purus putus Logicus est purus putus asinus.*

§. 31. Cæterum poterit etiam Prudentia nostra ratiocinandi non incommode Prudentia *sciendi* appellari, quatenus per scientiam intelligitur habitus res per causas cognoscendi. Quamvis SEBASTIANUS IZQUIEORDO *artem sciendi* tam latè supponat, ut præter *Logicam* seu artem perfectivam intellectus comprehendat *artem memorandi, imaginandi, experiendi,*

G

tan-

tanquam perfectivas memoriz, phantaziz & sensuum externorum.

§. 32. *Finis* prudentiz ratiocinandi est *veritatis consecutio*, quo differt iterum à *Rhetorica* & *Grammatica*, quarum illa intendit *persuasionem* per dictionem ornatam, hæc mentis nostræ qualemcunque *declarationem* per locutionem simplicem.

§. 33. Consequimur autem veritatem communiter quidem *ratiocinando*, speciatim *meditando*, *docendo*, *interpretando*, *examinando* & *disputando*, unde & horum modorum mentionem fecimus in *Definitione*.

§. 34. Cujus ductu simul distinguimus prudentiam ratiocinandi in partem *communem*, exhibentem doctrinas, quæ æquè ad omnes ejus partes speciales pertinent, & *propriam*, quæ ostendit, quæ in singulis partibus separatim monenda sint.

§. 35. *Communia* quibusvis ratiocinationibus sunt. (1) *cognitio finis* ratiocinandi. (2) *Principii primi*. (3) *Objecti*. & (4) *ordinis*. Quare non mirandum, quod prudentia nostra ratiocinandi *sua* ambitu suo completatur ea, quæ alii in disciplinis separatis, puta in *Canonica*, *Noologia* item seu *Intelligentia*, tum in *Gnostologia* & *Metaphysica* tractant. Uti enim ARISTOTELEM hic pro duce in unum non agnoscimus, contra cuius mentem fortè hæc extensio *Logicæ* futura est, ita  
haud

haud dubiè sine cognitione *criteriorum* & *principiorum* sciendi, & *Objecti* manca futura esset prudentia nostra.

§. 36. Pars *propria* quinque *ratiocinationis* momenta considerabit (1) *meditandi* (2) *proponendi* (3) *intelligendi* (4) *judicandi* (5) *contradicendi*, quæ sic inter se connectere poteris: *Ratiocinamur* vel *nobiscum* (habes punctum *primum*) vel cum *aliis*; & cum his quidem aut *absque contradictione*, ita videlicet, ut vel *his* conceptus *nostros* & *ratiocinationes* *proponamus*, (habes *secundum*) vel *ipsorum* conceptus *intelligamus*, (habes *tertium*) ac postea *dijudicemus*, (habes *quartum*) aut *cum contradictione* (habes *quintum*.) Posses etiam ita dicere: *ratiocinatio* pertinet vel ad *æquales* puta *præceptorem*, qui vult docere vel *proponere* sensa sui animi, quam *doctrinam* debet præcedere *meditatio*; & *discipulum*, qui vult discere & *intelligere* mentem *præceptoris*, quem *intellectum* debet sequi *judicium*: vel ad *æquales*, qui volunt *secum* invicem *disputare* seu sibi *contradicere*.

§. 37. Parti speciali subjungemus *corollarium* locò doctrinam de *Pedantismo* tanquam *vicio* prudentiæ *ratiocinandi* opposito.

## CAP. V.

De

# Veritate & ejus Criteriis.

G 2

SUM



## SUMMARI A.

- D**octrina de veritate & species nobilior. 10.  
 ejus criteriis commu- Verum vel strictè dictum,  
 niter à Logicis negligi- vel verosimile. 11.  
 tur. 1. Verosimile etiam est falsi  
 Veritatis varia acceptio. 2. species. Differentia in-  
 Ethica huc non pertinet, sed ter opinionem & erro-  
 Logica. Hæc est affectio rem. 12.  
 intellectus, unde sub se Veritas vel existentia vel  
 comprehendit verita- essentia. 13.  
 tem Metaphysicam. 3. An detur veritas? Dubita-  
 Veritatis & falsitatis Desi- tio veterum. 14.  
 nitio. 4. Dependet hæc quæstio à dis-  
 Rejicitur sententia, essen- sensu de veritatis crite-  
 tiam veritatis quarens riis. Sententia Heracli-  
 incongruentia cum in- ti, Anaxagora, Prota-  
 tellectu divino. 5. gora. 15.  
 Item Claubergii: verum Epicuri Canonica. Censura  
 esse, quod non sit fictum. communes in illam. 16.  
 6. Excusatio. 17. Summa  
 Veritas pertinet ad cogita- ejusdem. Triplex secun-  
 tiones consistentes. 7. dum Epicurum criteri-  
 Fluctuantes usum præ- um veritatis 18. Pri-  
 bent ad rejicienda impe- mum Sensus: Regula de  
 dimenta. 8. illâ quatuor. 19. Secun-  
 Veritas an sit in primâ dum anticipatio; &  
 mentis operatione? Ine- quatuor canones. 20.  
 ptia responsionum vul- Tertium passio & iti-  
 garium. 9. dem quatuor canones.  
 Veritas vel absoluta vel 21. De usu vocum duo  
 hypothetica. Absoluta canones 22. Epicurus  
 crite-


- criteria veritatis non querit in solo sensu.* 23. *Plato veritatem querit in solâ mente & in ideis.* 24. *cujus opinio rejicitur.* 25. *Aristotelis & Aristotelicorum doctrina* 26. *quæ & ipsa rejicitur.* 27. *Stoicorum opinio.* 28. *Academicorum item & Scepticorum.* 29. *Occasio Scepticismi.* 30. *Sensus non falli, quatenus intelligendum.* 31. *Si sensus fallerentur, frustra esset religio.* 32. *Epicuri sententia de criteriis probabilissima.* 33. *Eum approbarunt Aristoteles & Aristotelici.* 34. *Etsi dissentiant inepientes Scholastici.* 35. *Consenserunt item Stoici* 36. *& Potamo.* 37. *Veritas una est, falsitates multe* 38. *Defensores contradictoriarum veritatum* Antisthenes 39. *Judei,* 40. *Alexander Nea-Politanus.* 41. *Illi, qui aliud verum in Philosophia, aliud in Theologia statuunt,* 42. *Exempla hujus sententia* 43.

## §. I.

**D**OCTRINAM hanc *omittunt* communiter *Logici* hodierni omnes, quare non mirandum, quod *veritatem* venditent *pro sine externo Logices*; quam enim non habent cognitam, quomodo illam possent consequi? Aliud observatum esse ab antiquis Philosophis, eosque in Philosophia rationali diligenter excussisse doctrinam de veritate & ejus criteriis, vel ex CICERONIS fragmento *Academicarum questionum* videri potest.

G 3

§. 2.



§. 2. Sumitur verò *Veritatis* vocabulum variè. FRANCISCUS PATRICIUS eam facit *sex-tuplicem*: rerum, cognitionis, Discursus, scientiæ, vocis, scripti. Alii tres veritatis species constituunt: *essendi, significandi & cognoscendi*. Communiter alia dicitur *Metaphysica* seu attributum Entis, quæ denotat ejus existentiam, alia *Logica* seu affectio Propositionis, consistens in convenientia hujus cum rebus extra mentem, alia *Ethica* seu affectio hominis consistens in convenientia sermonis cum mente.

§. 3. *Ethica* hujus loci non est, sed *Logica*. At per Propositionem hic non tam intellige externam, & ore prolatam quàm internam cogitatione formatam; unde primario *veritas Logica est affectio intellectus*, quatenus autem intellectus actus per sermonem declarantur, hinc veritas per participationem fit etiam affectio Propositionis. Cæterum & veritas *Metaphysica* suò modò *huc* pertinet non solum, quia arbitramur *Metaphysicam à Logica non esse secernendam*, sed & quia suprâ conceptum de rei existentia retulimus ad primam mentis operationem.

§. 4. Quare *veritas Logica* erit *congruentia vel convenientia cogitationis nostræ cum re cogitata extra mentem*. Et adeò *falsitas* erit *disformitas inter cogitationem & rem cogitamam*.

§. 5. Unde nimium sapiunt, qui veritatem vocant *congruentiam cum intellectu divina*, aut

aut veritatem dividunt independenter & *pro-*  
*fus infallibilem* five divinam, & *dependenter infalli-*  
*bilem* five humanam, quatenus nimirum hæc  
 cum intellectu divino congruit. Intellectus  
 siquidem divinus & divina veritas sunt  
 Objectum non Philosophiæ, sed fidei.

§. 6. CLAUBERGII verò sententia, ve-  
 rum bene definiri, *quod non sit fictum*, nimis je-  
 juna est & falsâ hypothesi nititur, quasi veri-  
 tas sit notio toti hominum generi communis,  
 quamq; omnes promiscuè intelligere soleant.

§. 7. Cùm verò supra dixerimus, cogita-  
 tiones esse vel *fluctuantes* vel *consistentes*, facile  
 patet ex Definitione veritatis modò memo-  
 ratâ, quod *veritas* non pertineat ad prius co-  
 gitationum genus, sed ad *posterius*.

§. 8. Unde cogitationum *fluctuantium* non  
 quidem est usus ad veritatem consequendam,  
 est tamen nonnullus ad *rejicienda impedimenta*  
 à consecutione veritatis nos avertentia.

§. 9. Circa *consistentes* acriter disputari so-  
 let, utrum veritas etiam consistat in *prima*  
*mentis operatione*, quam statuunt esse appre-  
 hensionem simplicium. Posses pro utraque  
 sententia aciem Logicorum in campum edu-  
 cere, mœre Andabatarum inter se manus con-  
 ferentium, quoniam profectò illa prima men-  
 tis operatio, quam nobis tradunt, aut est *non*  
*Ens*, quatenus scilicet conceptus termini sim-  
 plicis oppositus iudicio non datur, aut, quate-

nus apprehensio ista, prout est in sensibus, & prout hi iudicio opponuntur, planè non est *mentis operatio*. At quatenus prima mentis operatio occupatur circa *verum existentiam*, uti nos suprâ eam definivimus, haud dubiè veritatis capax est.

§. 10. Non incommodè tamen veritas pro diversitate consistentium cogitationum poterit dividi in *absolutam* & *hypotheticam*, modò notes, hanc divisionem esse in species analogas, quas inter absoluta est *nobilior* species, quoniam cogitationes hypotheticæ aliquatenus accedunt ad fluctuantes, unde & Definitio tradita veritatis saltem secundariò ad easdem applicari poterit.

§. 11. Verum ulterius est vel *verum strictè dictum* vel *vero simile*. Illud, quod nequit, hoc, quod potest se aliter habere. Utrique opponitur *duplex falsum*. Verum strictè dictum parit *scientiam*, & ad id pervenitur per *Demonstrationem*; *Verosimile* parit *opinionem* per rationes probabiles & *Topicas*. Tum autem verum dicitur se aliter habere non posse, si rationes verum inferentes necessariam & universalem connexionem habent cum primo principio. Ergo tunc aliter se habere poterit, si connexio illa non sit universalis aut necessaria.

§. 12. Quare non confundere debes *Verosimile*, quod est species *veri*, cum *vero simili*, quod est *falsi* species. Utrumque eandem  
nanci-

nanciscitur appellationem, quia & falsum sæpius nititur rationibus probabilibus. Sed verosimile, quod falsum est, parit errorem (unde simul habes differentiam inter *errorem* & *opinionem*) Ita rustico verosimile est lunam esse majorem reliquis stellis. In dubio tamen *Verosimile* præsumetur esse *verum*, non falsum, donec probetur contrarium.

§. 13. Deniq; *Veritas* est vel perceptionis seu *existentia* vel judicii seu *essentia*. Illa est, quâ concipimus esse *aliquid*, de quo cogitamus, & ea non habet oppositam falsitatem. Hæc, quâ concipimus id, de quo cogitamus *ita* se habere vel *aliter*, & hæc poterit oppositam falsitatem habere, prout conceptus noster cum re extramentem convenit aut disconvenit.

§. 14. Sed fortè frustra disputamus de veritate, *si eam reperire non possumus*. Veritatem quidem indagare propositum esse Philosophis, agnovit LACTANTIUS, sed ejus inventionem impossibilem esse judicavit LUCIANUS, & notum est adagium, quod *veritas in profundo lateat*.

§. 15. Occasionem huic dubio dedit disceptatio Philosophorum veterum circa *criteria veritatis*. Alii enim ad *sensum solum* recurrerant, alii ad *mentem*. HERACLITUS & ANAXAGORAS id verum esse duntaxat defendebant, quod *cuique verum videretur*, & præterea *cujusq; sensum* esse mensuram veritatis, quod & PROTAGORAS defendit, qui & hoc addebat *pugnancia posse simul vera esse*.

G 5

§. 16.

§. 16. Referri huc communiter solet. à CICERONE & modernis, EPICURUS, quasi qui iudicium veri & falsi totum in sensibus collocaverit. Unde & communiter ejus *Canonica* irrideri solet tanquam absurdissimarum opinionum mater, & quod nimirum ab hac ineptâ doctrinâ seductus statuerit, *nec solem nec lunam majores esse quàm viderentur*; Item *majorem esse solem manè quàm meridie, & denique, eundem mane semper accendi, vesperi oceani aquis extinguui.*

§. 17. Sed quemadmodum illa Epicuri opinio de magnitudine solis & lunæ non tam à perversitate Canonice, quam ex ignorantia Matheseos ortum duxit: ita vereor, ne reliquæ sententiæ de sole præter intentionem Epicuro affingantur. Quicquid hujus sit, ipsa *Canonica Epicuri* seu doctrina de criteriis tanta nobis videtur, ut ficcò pede ea non sit transmittenda. Quare illam in summam contractam cape.

§. 18. Omnis quæstio in Philosophia aut de re est, aut de voce. De re veritatem quærimus, de voce significationem. Res sunt vel naturales, exque aut sensu percipiuntur, aut mente: vel morales. Unde triplex Epicuro nascitur veritatis criterium, *Sensio, Anticipatio, & Passio.*

§. 19. Primum criterium veritatis vocat *Sensationem*, de qua sequentes canones proposuit. (1) *Sensus nunquam fallitur*, ac proinde omnis sensio omnisque phantasiæ seu apparentiæ perceptio vera est (*quoad veritatem existentia*)

*sentia*.) (2) *Opinio est consequens sensuum sensio-  
nique superadjecta, in quam veritas (judicii  
seu essentia) aut falsitas cadit, & nempe (3) opi-  
nio illa vera est, cui vel suffragatur vel non  
refragatur sensus evidentia. (4) Quæ contra se  
habet, falsa.*

§. 20. Sequitur *Anticipatio*, seu notitia, seu  
idea, de qua iterum quatuor canones format.  
(1) *Omnis anticipatio in mente dependet à sensibus  
fitque vel per incidentiam, vel per proportionem  
vel similitudinem, vel compositionem. (2) Antici-  
patio est ipsa rei notio & quasi definitio, sine qua  
quicquam querere, dubitare, opinari, imò  
& nominare non licet. (3) Est anticipatio in  
omni ratiocinatione principium quasi, nempe  
id, ad quod attendentes inferimus unum esse  
idem, aut diversum, conjunctum aut disjun-  
ctum ab alio. (4) Quod *inevidens* est ex rei  
*evidentis anticipazione demonstrari debet.**

§. 21. Denique de *Passione* rerum morali-  
um criterio, sub qua complectitur *volupta-  
tem & molestiam*, similiter quatuor canones sunt:  
(1) *Ea voluptas, quæ nullam habet annexam  
molestiam, amplectenda est & (2) ea molestia,  
quæ nullam annexam habet voluptatem, fugi-  
enda. (3) Ea voluptas, quæ aut majorem vo-  
luptatem impedit aut graviorem molestiam  
parit fugienda; Ea verò molestia (4) quæ aut  
majorem avertit molestiam, aut uberiorem  
voluptatem creat amplectenda est.*

§. 22.



§. 22. Restat *usus vocum*, de quo duo traduntur canones. (1) Dum *loqueris*, delige *voces communes & perspicuas*, ne aut ignoretur, quid velis, aut interpretando tempus frustra teras. (2) Dum *audis*, id enitere, ut *vim subjectam vocibus* teneas, ne te vel præ obscuritate lateant, vel præ ambiguitate te deludant.

§. 23. Hactenus EPICURUS, qui adeo ut vides, non ad solum *sensum* criterium veritatis revocat in rebus *contemplabilibus* sed ad *sensum & ideam*, ita tamen, ut ideam sensibus subordinet.

§. 24. Alia fuit mens PLATONIS, qui omne veritatis criterium in *mente* collocabat, hanc videlicet *scientiæ* participem faciens, *sensus* saltem *opinionis* illâ ratione inductus, quod per id veritatem percipere non possimus, quo essentiam rei non percipiamus, sine veritate verò scientiam non esse & sensibus non percipi rerum essentias; Mentis verò actum, quo veritas erueretur, appellabat *ideam*, animæ in prima creatione impressam, adeoque ante sensus omnes præexistentem in homine, quæ saltem ope sensuum excitaretur rursus, ut per *remiscentiam* anima, ejus antea per detrusionem in corpus oblita, recordaretur quasi: Unde & Plato ratiocinando ab *intelligibilibus* descendit ad *sensibilia*, quod & hodie faciunt CARTESIANI à cognitione creatoris descendentes ad creaturas.

§. 25.

§. 25. Hac de re ut paucis sententiam nostram aperiamus, uti profanam doctrinam Platonis *de animarum præexistentia, & de corpore non parte hominis*, sed ejus carcere hypothefin præsupponit; ita apertè confundit idem veritatem *existentie* cum veritate *judicii* seu *essentie*, ac profectò errat, si putat conceptum hominis de rerum *essentia* aliunde petendum esse quàm à modis existendi.

§. 26. ARISTOTELES Platonis illas ideas & in Metaphysicis & in Ethicis labefactare conatus est. ARISTOTELICI verò *judicium veri & falsi* tum in *mente* tum in *sensibus* collocarunt. Nam evidentem certamque cognitionem rerum singularium atque sensibilibium à *sensibus* petendam esse, primorum autem principiorum, & eorum, quæ nullam cum sensibus cognationem habent, à naturali *mentis* lumine totam pendere, sensusque adeo interdum veros, interdum falsos esse, defenderunt.

§. 27. Quod de sensibilibium & singularium rerum cognitione tradunt, acceptamus, negamus verò, quæ de *fallacia sensuum* docent, quoniam sensus non fallunt sed occasionem quandoque fallendi *judicio incauto* suppeditant, negamus etiam, quæ de *cognitione rerum universalium* tradunt à mente sola dependente. Et jam dudum *notitia ille* quorundam Peripateticorum *infitæ & connata* sunt explosæ.

§. 28. Restant STOICI, qui initium veritatis

tatis & scientiæ quærebant etiam in *sensibus junctim sumptis*, quam conjunctionem *phantasiam* dicebant, & comparabant cum manu extensa. Hanc si propriam quandam secum haberet declarationem eorum, quæ viderentur, volebant *sequi assensionem mentis*, quasi quandam incurvatam digitorum adstrictionem. Assensionem aiebant sequi *approbationem* seu comprehensionem pugno similem. Quod si res ita foret comprehensa, ut convelli ratione non posset, *scientiam* nominabant, eam cum pugno ab alterâ manu fortiter & arctè compresso comparantes; Sin aliter, *insciuntiam*. *Inscentiæ* verò species ponebant *errorem*, *temeritatem*, *ignorantiam*, *opinionem* & *suspicionem*.

§. 29. Cum itaque memoratæ Philosophorum sectæ tam variè inter se dissentirent, & singulæ aliorum sententiam acriter refutare aggredierentur, ACADEMICI & SCEPTICI magis ad *objectiones* singulorum quàm ad *responsiones* attendentes, *judicium veri & falsi* planè sustulerunt, & vera à falsis inter nosci posse penitus negarunt, statuentes videlicet, nullam ullius rei apud nos scientiam & comprehensionem esse.

§. 30. Hujus rei præprimis apud ACADEMICOS hæc videtur fuisse occasio. Initio, dum Platonem secuti sensibus omne criterium veritatis denegarunt, facilè in eam sententiam prolapsi sunt, ut putarent, *sensus fallere & falsi*

falli. Quò semel admissò, cum viderent, ideas illas Platonicas justum philosophantium examen non posse sustinere, quid restabat quàm ut faterentur, nullum judicium veri super esse? Sanè DEMOCRITO doctrina de ideis Platonice hanc vocem extorsit, ut affirmaret, *aut nihil verum esse, aut id ipsum nobis esse ignotum & absconditum*: Et qui ex hodiernis Philosophis Platonismum sequuntur, ut CARTESIANI, Scepticis, quoad impugnationem sensuum, proximè accedunt.

§. 31. Sed SCEPTICIS quidem atque CARTESIANIS uti quoad objectiones de fallacia sensuum jam plures ex antiquis pariter & novis scriptoribus satisfecerunt; ita summatim tenendum est; *sensus* quoad veritatem *existentie* nunquam fallere, quia semper aliquid est, quod sensibus meis impressionem facit, & semper sub hoc schemate, uti phantasia id concipit, sensibus idem sistitur. Ne verò etiam sensus occasionem suppeditet *judicio* in errorem dilabendi, ac si res ipsa in se *ita existat*, uti sensibus meis est impressa, id modò videtur observandum esse, ut respectu *Subjecti judicantis* supponatur (1.) homo (2.) vigilans (3.) sanus corpore (4.) sanus mente, ex parte *Objecti* verò ut id præsens sit, hoc est, in debita distantia positum.

§. 32. Illud omitto, quod si sensibus denegemus infallibilitatem, corruat omnis *religio*.

gio & argumentum, quod primò locò pro veritate doctrinæ suæ supponit Apostolus, inculcans, se dicturum esse de verbo, quod *audiverit, viderit & manibus palpaverit.*

§. 33. Quare quicquid sit de EPICURI Philosophia morali & naturali, utpote de quibus dicere hujus loci non est, profectò ipsius *Canonica* de rebus cognoscibilibus & duobus hac parte veritatis criteriis,ensione & anticipatione maximè rationabilis est, & nisi me omnia fallunt, ipse ARISTOTELES & STOICI re ipsâ hac parte cum Epicuro adversus Platonem consenserunt.

§. 34. Communis enim assertio ARISTOTELICORUM est: *Nil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.* Quorsum egregiè faciunt verba ARISTOTELIS: *ex sensu memoria, ex memoria experientia, ex multis experimentis in unum collectis exurgit universale, quod apprehendit intellectus, ex quo aliquid concludit διανοια.*

§. 35. Quod verò ARISTOTELICOS concernit, præter sensum in primorum principiorum cognitione ad lumen aliquod *mentis* naturale provocantes, ut suprâ adduximus, per illos haud dubiè intelligendi sunt SCHOLASTICI, qui ex nimiò studiò Aristotelem cum Platone conciliandi, vel ex non intellectis quibusdam locis Aristotelis, aut etiam Scripturæ Sacræ, mixturam quandam Philosophiæ Platoniciæ cum Aristotelica præter intentionem Philosophi nobis

bis suppeditantes, locô notitiarum naturalium, quæ homini per modum potentiz insunt, notitias quasdam *habituales* connatas dederunt, ita inepte expositas, ut stultissimæ conclusiones, & infinitis contradictionibus obnoxiz inde fuerint ortæ, ut alibi fusius ostendi.

§. 36. STOICORUM verò doctrina evidente convenit cum Canonica Epicuri, etsi rem ipsam aliis terminis protulerint, & ipse CICERO inculcat, quod Stoici hac parte magis in vocabulis quàm rebus aliquid innovaverint.

§. 37. Consentit egregiè, nisi me omnia fallunt, Philosophiæ *Eclectice* Princeps POTAMO, de quo refert SUIDAS; *Duo, ait, esse instrumenta cognoscendi verum, unum quidem est illud, à quo fit iudicium, hoc est mens ipsa, qua principatum in anima tenet, alterum est, per quod fit iudicium, ut certissimum visum.*

§. 38. Cæterùm, cùm suprà dixerimus, veritatem esse convenientiam conceptus nostri cum re, & verò res ipsa non possit simul ita & aliter se habere, suâ sponte sequitur, *veritatem saltem unam esse, falsitates autem posse esse multas,* quod etiam CICERO, PLUTARCHUS & CLEMENS ALEXANDRINUS agnoverunt.

§. 39. Contrà, qui suprà *solum sensum* criterium veritatis faciebant, aut veritatis vim omnem non in rebus, sed *in intellectu* hominis sitam esse defendebant, non poterant non simul admittere *plures & contradictorias, quidem*

H

verita-

*veritates.* Atque ex hac hypothesi profluxisse videtur etiam ANTISTHENIS illa thesis, negantis: *contradici posse.* Volebat nimirum, nihil esse falsum, sed quod cuique videretur, verum esse. Nam qui contradicunt, horum unus alterum falsitatis arguit; unde ejusmodi homines ex adverso SCEPTICIS contradicentes omne *falsum* tollebant, ut hi *verum.*

§. 40. Affinis præcedenti error est eorum, qui non omnem falsitatem tollunt, sed *aliquas tamen contradictorias veritates* admittunt, ut JUDÆI faciunt, inculcantes: etiam si duo Rabini verum esse.

§. 41. Sed nec inter CHRISTIANOS defunt absurdissimum hoc dogma defendentes. Ita ALEXANDER NEAPOLITANUS asserit, quædam apud *Philosophos* falsa esse, quæ apud *Jctos* sint vera, v.g. *Navem Thesei toties sartã esse eandem.*

§. 42. Major numerus est eorum, qui statuunt, aliquid esse *verum* in *Philosophia*, quod sit *falsum* in *Theologia*, qui tamen ad absurdum hoc dogma videntur ex triplici intentione fuisse prolapsi. Alii enim id fecerunt ex *nimiõ amore in Aristorelem*, ut conciliarent illum cum Scripturã, ut AVERROISTÆ. Alii ex *odiõ in Philosophiam*, ut LUTHERUS aliquando & HOFFMANNIANI. Denique alii *ad pallianda principia atheismi*, ut Auctor *specimiris ratiocinandi*, qui fuit discipulus BENEDICTI SPINOSÆ, athei ingeniosissimi.

§. 43.

§. 43. Exemplum ejusmodi *contradictorie veritatis*, ab omnibus his tribus classibus suppe- ditatur ferè ex doctrina de *aternitate mundi*. Al- lii provocant ad quæstionem, *an virgo possit pare- re?* Sed hoc exemplum puto plane huc non pertinere, quia istæ Propositiones, *virgo parit, & virgo non parit*, non intelliguntur secun- dum idem, adeoque nec sunt contradictoriæ.

## CAP. VI.

De

Præjudiciis veritatis in- quisitionem impredientibus, eo- rumque extirpatione & primis cogno- scendi Principiis.

## SUMMARIA.

**N**ecessitas præjudicio- rum & eorum Desi- nitio. 1.

Ea dependent ab intellectu & voluntate. Illa præ- cipitantia, hac affectu- um. 2.

Præjud. præcipitantia desi- nitur. 3. Ejus prima species præjudicium sen- suum. 4. Secundò præ- judicium autoritatis. 5. Quod intuitu præcepto-

rum & librorum vari- um 6. Tertio præjudi- cium ineptarum argu- mentationum promi- scuum, ut præjudicium terminorum, modi pro- ponendi, eventus, par- ticularium experimen- torum. 7.

Præjud. affectuum defini- tur. 8. Ejus species va- ria concurrunt in præ- judicio pertinaciæ 9.

H 2

Demon-



*Demonstratur necessitas Peripateticorum principii dubitationis Cartesianae.*

10. probata Aristoteli, Ciceroni, Apostolo 11. quatenus nempe illa non Sceptica est, sed Eclectica. 12. Probatur: necessariam esse ad tempus dubitationem de omnibus tam directè 13. quàm per deductionem ad absurdum. 14.

*Ad inveniendum verum & examinanda præjudicia debet ante omnia investigari principium primum.* 15. Fuit etiam hæc intentio Cartesii, sed non abstinuit, ob nimium abstinendi amorem, à præjudiciis. 16. committens præjudicium ineptæ ratiocinationis, dum asserit fallaciam sensuum. 17. item præcipitantia & affectuum, in dubitatione an manus & pedes habeat 18. quod probatur 19.

*Principium primum: Impossibile est idem simul esse & non esse* 20. probatur esse primum. 21.

*Dissentientium varia classes* 22. (1) Eorum, qui aliud substituant, vel adjungunt ex Peripateticis ipsis 23. quibus respondetur 24. (2) eorum, qui ejus veritatem negant, ut Sceptici & Heraclitus. 25. 26. quibus accensendi defensores contradictoriarum veritatum. 27.

*Principium primum Autoris Medicina menti proponitur, & ostenditur, ex eo sequi contradictorias veritates* 28. usque ad 37. Primum ejus falsum, quod veritatem non querit in rebus sed in intellectu. 38.

*Non dari primum principium practicum indemonstrabile.* 39.

## §. 1.

**Q**uamvis igitur mens humana verum à falso discernere maximè appetat, quoniam tamen corpori est affixa, & homines in tenera ætate non statim apti sunt verum à falso discernendi & dijudicandi, inde necesse est, ut iidem in primâ ætate attrahant *erroneas opiniones* ipsos à consecutione veritatis maximè abducentes, quæ, quoniam communiter præcedunt iudicium firmum & rectæ rationi congruens, apellantur *præjudicia*.

§. 2. Præjudicia hæc vel dependent ab *intellectu* vel à *voluntate* malè informatis. Prioris generis possis vocare *præjudicia precipitantie*, posterioris, *affectuum*.

§. 3. Præjudicium *precipitantie* voco, quando intellectus de re non exactè pensitatâ iudicat.

§. 4. Huc pertinet *primò* præjudicium *sensuum*, quando intellectus iudicat absque reductione ad sensus evidentiam, rem ita se habere, uti sensibus malè dispositis apparet.

§. 5. *Secundò* præjudicium *autoritatis*, quando intellectus id iudicat esse verum, quod ab hominibus, cum quibus in societate vivit, autoritate pollentibus audit. Tales sunt multæ vanæ persuasiones, quæ infantibus imprimuntur à matribus, nutricibus, ancillis &c. à præceptoribus, à multitudine idem sentientium.

§. 6. *Præceptores* sunt vel *visi* vel *muti* i. e. *libri*. De utrisque *varia* sunt præjudicia auto-

ritatis hausta ex *personarum* ætate, pietate sapientia, moderatione, nobilitate, divitiis, dignitate & statu, existimatione, titulis, vitæ genere, natione, genio, promptitudine aut lentitudine, nomine, ex *sententiæ* antiquitate aut novitate ex dogmatis nobilitate & usu, item profanitate, ex *librorum* magnitudine, multitudine, titulis, raritate, pretio, ex *autoris premio vel pœnâ* &c.

§. 7. Tertiò præjudicium *inceptorum argumentationum promiscuum*. Huc pertinet præjudicium *terminorum malè intellectorum, ambiguum & nihil significantium, præjudicium modi proponendi*, ut judicemus, ea vera esse, quæ ornatè & modestè, falsa, quæ acriter & neglectim proponuntur, præjudicium *eventus*, quando ex hoc judicamus de prudentia consiliorum, præjudicium *particularium experimentorum*, dum ex iis extruimus axioma universale, & similia.

§. 8. Præjudicium *affectuum* voco, quando affectus intellectum obnubilant, ut præ illorum excessu veritatem cernere nequeat.

§. 9. Huc pertinent præjudicia *amoris, odii, iracundiæ, obsequiositatis & complacentiæ, studii contradicendi, pruritus disputandi, philantia perversæ, intuitu interesse aut honoris privati*, ex quibus omnibus deinde oritur præjudicium *pernitentiæ*.

§. 10. Quod si igitur quis communem naturam humanam in præsentis statu rimetur, depre-

deprehendet, *neceſſe eſſe*, ut eâ præſuppoſitâ homines *multa præjudicia* à juventute uſque ad tempus adultæ ætatis attrahant. Cùm autem præjudicia impediunt conſecutionem veritatis, inde ſuâ ſponte fluit poſtulatam illud CARTESII, *neceſſe eſſe*, ut *vel ſemel ſaltem homines in vitâ ſuâ dubitent de veritate conceptuum ſuorum*.

§. 11. Neque hæc de neceſſitate & utilitate dubitationis opinio CARTESII ipſius inventum eſt, ſed jam communiter ab antiquis Philoſophis idem fuit inculcatum, puta ab ARISTOTELE, CICERONE & aliis. Unde miſerè ſe prostituunt, qui ex iſto CARTESII poſtulado ipſum *atheismi* volunt convincere, non recordati videlicet, quod ipſe APOSTOLUS jubeat *probare Spiritus*. Probatio autem iſta ſine dubio non fit.

§. 12. Nimirum *dubitatio* vel eſt *Sceptica* vel *Eclèctica*; (liceat enim terminos iſtos ex intentione harum duarum Sectarum huc trasferre.) Illa dubitat, *ut verum amittat & in perpetuâ incertitudine ac dubitatione maneat, hæc, ut verum conſequatur & certitudinem, ac ut præjudicia ſaltem erronea à rectis judiciis poſſit ſecernere*.

§. 13. Jam, cùm ob modò dicta neceſſarium fit, ut homo ante iſtam ſecretionem vel omnes opiniones ſuas ex præjudiciis hauſerit, vel, quod communiter fit, multas ſaltem aut quasdam; utroque caſu ſimul neceſſarium eſt, ut minimum per aliquod tempus dubitet *de omnium ſuarum aſſertionum veritate*.

H 4

§. 14.

§. 14. Ni enim hoc faceret, sed ante dubitationem jam de quarundam evidentia certus esset, ante dubitationem jam possideret veritatem, adeoque respectu reliquarum etiam nulla dubitatione opus foret, sed tantum simplici deductione earum ad illam veritatis regulam jam cognitam vel simplici rejectione. *At hoc absurdum est, quia tunc homo ante dubitationem non laboraret præjudiciis, cujus contrarium tamen demonstravimus.*

§. 15. Cum autem supra dixerimus, quod assertio vera & verisimilis in eo conveniant, quod utraque connexionem habeat cum primo aliquo principio cognoscendi, ante omnia dubitationis istius eruditæ scopus esse debet, ut certi fiamus, quodnam sit illud *Principium primum*. Et hoc proposuit etiam sibi CARTESIUS.

§. 16. Ergo ad hoc rite inveniendum quam maximè seponenda erunt præjudicia, quoniam in eo situm est momentum omnium veritatum. Intendit & hoc CARTESIUS, sed utinam non intendisset nimis, & ita *incautus* in eadem, ex nimio vitandi studio, non citius & crassius incidisset, non multum absimilis illi, qui magno nisu equum adscendens ex altero latere ab eodem iterum decidebat.

§. 17. Etenim dum ex eo, quod sensus aliquando occasionem fallendi dederint iudicio, infert, *sensus semper fallere vel fallere posse* in rebus extra hominem positis, in eo committit præjudicium *precipitantia vel inepta ratiocinationis.*

§. 18.

§. 18. Quod autem exinde eandem fallaciae possibilitatem postea inferat *in cognitione membrorum corporis proprii*, & dubitet, utrum manus & pedes habeat, ac propterea concludat, primum principium cognoscendi esse: Ego cogito, ergo sum; & opponentibus sibi, quod æquali jure dicere potuisset: Ego manus aut pedes habeo, ergo sum, nihil aliud regerat, quam se tum adhuc finxisse, quod careat manibus aut pedibus, profectò reum se facit utriusque præjudicii, & *præcipitantiæ & affectuum*.

§. 19. Haud dubiè enim Cartesius si cum Sceptico ipsi res foret, negante se cogitare, provocaret ad propriam ipsius conscientiam, & hominem istum regerentem, se fingere, quod hanc conscientiam non habeat, ablegaret ut in sanum. At nos æquali jure adversus ipsius fictionem, quod manibus & pedibus careat, possumus ipsum remittere ad propriam hujus rei conscientiam. Quilibet enim homo præjudiciò vacuus æquè intrinsecam conscientiam penes se deprehendit, quod manus & pedes habeat quàm quòd cogitet.

§. 20. Igitur missò Cartesio arbitramur PERIPATETICORUM doctrinam de primo cognoscendi principio nondum labefactatam esse, quod nempe id in sequenti Propositione consistat: *Impossibile est, idem simul esse & non esse.*

§. 21. Quemadmodum enim idem ab aliis, & à nobis alibi jam fuit demonstratum; ita vet-

exinde patet istius assertionis veritas, quod hujus principii veritas per aliud quoddam à priori probari nequeat, ex ipso verò omnes veræ conclusiones deduci ac reduci possint. Quapropter & eò utitur APOSTOLUS ad Roman. XI.

§. 22. Qui præter Cartesianos, de quibus modò, dissentiunt, vel aliud quoddam prius substituunt, aut alia adhuc illi addunt, vel ejus veritatem negant.

§. 23. Prius faciunt ipsi Peripatetici quitam & SCHOLASTICI, quorum alii cum SCOTISTIS substituunt hanc Propositionem: *Ens est Ens*. Alii; *Quodlibet est vel non est*. Alii hoc ultimum cum nostro conjungunt, eaque duo inter se ita differre asserunt, quod per nostrum indicetur, duo contradictoria non posse esse simul vera; per alterum autem, eadem non posse esse simul falsa, quamvis nec in hac differentia omnes conveniant.

§. 24. Nos negamus, quòd illi: *Ens est Ens*, conveniant requisita dicta primi principii; ad alterum verò respondemus, re ipsa idem esse principium nostrum cum illo: *Quodlibet est vel non est*, ac latissimum ejus esse ambitum, ut sensus sit, impossibile est idem simul *existere & non existere*; item *existere hoc modo & non existere*. Quare & sub se comprehendit alium affinem canonem ARISTOTELIS: *Omne quod est, quando est, necesse est esse, & omne quod non est, quando non est necesse est non esse*.

§. 25.

§. 25. *Posterius fecisset dicitur* EPICURUS VOS-  
SIO, à CICERONE seducto. Contrarium enim  
demonstrat *Canonica* Epicuri. A *nullo* unquam  
homine id fuisse negatum arbitratur PETRUS  
HURTADUS DEMENDOZA. Sed verius est, idem  
negasse SCEPTICOS & HERACLITUM, sed cum  
iusto discrimine: *Sceptici* negabant, Contradi-  
ctoria non posse simul esse *falsa*, quia tolle-  
bant omnem veritatem: *Heraclitus* contra ne-  
gabat, contradictoria non posse esse simul *ue-*  
*ra*, quia negabat falsitatem.

§. 26. De *Scepticis* testatur EUSEBIUS, eos  
de unaquaque re dixisse: *Non magis est quam*  
*non est*. Item: *Est, non est, neque non est*. *Hera-*  
*clitum* verò ipse produxit in scenam & refu-  
tavit *Aristoteles*.

§. 27. Cum hoc verò necesse est consenti-  
re omnes eos, qui statuunt, *dari veritatem con-*  
*tradictoriam*, de quibus supra, inter quos etiam  
est quidam Pseudonymus CHRISTIANUS ISRA-  
ELITA.

§. 28. Nobilissime *Nobilissimus* AUTOR *Medici-*  
*nae mentis falsitatem* omnem in eo consistere ar-  
bitratur, quod *non potest concipi*, veritatem in  
eo, quod *potest concipi*, unde fluere statu-  
it, istud esse primum, unicum & evidentissi-  
mum principium cognoscendi; *quaedam a*  
*nobis possunt quaedam verò nullò modò concipi*,  
idque fusius demonstrare aggressus est.

§. 29. Nos non tam, quomodo ipsum  
impu-



impugnemus, quam quomodo principium nostrum salvemus, erimus solliciti. Unde præsupponimus, quod principium nostrum habeat quidem pro *vero*, sed non pro *primo*, quoniam id ex suo principiò ultimò demonstrari posse confidit.

§. 30. Quod si itaque demonstraverimus, ex ejus adducto principio, prout ipse explicat. sequi, *contradictoria posse simul esse vera & falsa*, putamus instituto satisfecisse. Atque hoc quidem ita ostendimus.

§. 31. Initio jubet nos distingvere inter *concupere & percipere*. Illud esse actum *intellectus*, & magis à naturâ humanâ quàm tali dependere, atque afficere hominem per modum *actionis*; hoc esse actum *imaginationis*, & referre se ad res ab extra præsentatas, & afficere hominem per modum *passionis*. Utrumque verò actum ad facultatem *cognoscendi* tanquam latiore refert.

§. 32. Declarat rem comparando has duas facultates inter se; scilicet: *Quæ non possum concipere, ea nec me posse imaginari*, e. g. totum esse minus parte; è contrario eorum, *quæ percipio, quedam etiam posse concipi*, ut corpora mechanica, *quedam autem concipi non posse*, ut colorem rubrum, dolorem, quia de his ne quidem ullam possem imaginem formare.

§. 33. Ex his patere ait, quod *facilius* cognitu sit, me quædam non posse concipere quàm me quædam concipere posse. Nam for-

fortius assentiri nos *argumentationi ad impossibile*, quia ea, quæ concipi nequeunt, nec possum imaginari. At si quis dicat, quædam à nobis concipi, operam dandam esse, ne confundamus *conceptionem cum imaginatione*.

§. 34. Ne verò quæris, te desiderare *criterium*, quo certus esse possis, an rem aliquam concipias nec ne, notat *facultatem concipiendi* in omnibus hominibus esse *æqualem*, adeoque necesse esse, ut quilibet, qui rem aliquam concipiat, possit perficere, ut alter rem à se conceptam æquè percipiat; *perceptionem verò esse inæqualem*, ut in coecis, surdis &c. unde non possumus præstare, ut alii æqualem habeant perceptionem.

§. 35. Ex hoc autem sequi dicit, *missimum criterium esse, me ea concipere, cujus cognitionem apud alium per sola verba excitare possum. Quæ verò non possum, ea me solum imaginari.*

§. 36. Jam ego infero: Aut nihil concipio, aut sensus eorum quæ suprà ex Autore adduximus, erit sequens: *Falsitas* omnis in eo consistit, *cujus cognitionem apud alium per sola verba excitare non possum, veritas* in eo, *cujus cognitionem apud alium per sola verba excitare possum. Unde fluit primum principium: Quorundam cognitio à nobis potest apud alios excitari, quorundam non potest.*

§. 37. Quod si autem hæc ita se habent, ostendamus nunc id, quod modò promisimus

Cape

Cape *exemplum*: Illustris PUFENDORFFIUS hypotheseos suæ cognitionem apud affectas suos facile excitare potest; ejus ADVERSARIUS & suæ hypotheseos cognitionem apud suos excitat. Neuter excitare potest hanc cognitionem apud alterum PUFENDORFFIO ad evidentiam, alterò ad conscientiam suam provocantibus. Ergone hypotheseos istæ contradictoriæ *simul veræ* erunt, quia quilibet suis eas persuadet, & simul falsæ, quia neuter alteri? Id quidem ex Definitionibus *Nobilissimi* AUTORIS sequi videtur.

§. 38. Cujus adeò, ut obiter notemus, *primum falsum* in doctrina de veritate in eo videtur consistere, quod veritatis vim omnem non in convenientiâ *intellectus cum rebus*, sed *rerum cum intellectu* sitam esse arbitratur. Quippe ex hac hypothesei jam supra diximus fluere duas contradictorias veritates.

§. 39. Denique neque omittendi nobis sunt, qui ex vulgo PERIPATETICORUM docent, dari præter hoc principium nostrum etiam *principium aliquod primum practicum indemonstrabile*. Nam & ipsi quicquid dissimulent, primitatem principii nostri impetunt. Sed hos quidem distinctè jam refutavimus alibi.

## CAP. VII.

De

## Objecto ratiocinationis.

SUMMA-

## SUMMARIA.

**R**atiocinatio versatur circa ea, quae in sensibus incurrunt. 1. vel immediate vel mediate. 2.

Menti, quae finita est, 3. à sensibus offeruntur semper Individua, quae vel separatim considerat, vel cum aliis comparat.

4. Compreensiones Individuorum ab intellectu factae dicuntur ideæ & abstractiones. 5.

Ratiocinatio omnis sit per comparationem concretorum inter se 6. unde oriuntur Propositiones affirmativæ & negativæ 7. quarum illa potissimum hujus loci sunt, tanquam magis apta ad inveniendam veritatem 8.

Conceptus universalis omnium rerum est Ens. 9. qui non habet conceptum oppositum Non

Entis. 10 Abstractiones Homo nullum habet distinctum

ultima Scholasticorum sunt Non Entia 11. Differunt Non Ens & Ens rationis. 12.

Deum ratio neque distinctè neque clarè percipit, partim, quoniam Deus non incurrit immediate insensus 13. partim quia intellectus noster est finitus 14. Modus Cartesianus inquirendi Deum ut minus aptus rejicitur, 15. Ex tribus viis Scholasticorum recipitur suo modo via causalitatis 16. & doctrina reliqua de demonstratione attributorum Dei ex lumine rationis ut otiosa rejicitur. 17.

Creatura vel Substantia vel Accidens. Definitio utriusque & mens Cartesianorum de hac divisione. 18.

*distinctum & clarum conceptum ullius Substantiæ. Probatur ex Definitione & conceptu Substantiæ 19. Ex Definitione & Divisione Entis ac differentia inter existentiam & essentiam. 20. Ex his deducitur adversus Cartesianos (1) non differre conceptum rei à conceptu rei modificata. 21. (2) Dari formas Substantiales in omnibus creaturis 22. (3) Hominem non habere conceptum clarum & distinctum suæ formæ Substantialis. 23. Referatur hæc doctrina ad dicta superius. 24.*

*Prædicamenta novem accidentium à Peripateticis usurpata, rejiciuntur tanquam deficientia, excedentia, falsa, inutilia. 25.*

*Substantiam spiritualem ignorat ratio. 26. Con-*

*ceptus rationis de Deo non involvit spiritualitatem 27. Ineptiæ Pnevmaticorum de angelorum existentia, 28. & essentia 29. Item de statu animæ separatae 30. ostenduntur perspicue.*

*Elementorum essentiam distinctè non assequi potest ratio, multò minus species eorundem & numerum. 31. Ratio hujus assertionis 31. 32. Quinimo ne quidem de existentia elementorum ex ratione certus sum. 33. Ostenditur probationem numeri quaternarii elementorum esse ineptam. 34. Ex revelatione nil amplius habemus, quàm quod chaos fuerit primum elementum. Elementa Cartesii. 35.*

*Examinantur Divisiones communes corporis mixti in perfectè & imperfectè mixtum, illius*  
in

in inanimatum & animatum, animati in plantam & animal. 36. In doctrinâ de corporibus mixtis magis commendatur doctrina Cartesii. 37.

De Individuis non habemus conceptu distinctos, quare frustranea est quaestio de principio individuationis, 38. Nescimus enim efferre singularitatem unionis quae in singulis Individuis est. 39.

Recensentur reliquae abstractiones mentis occasione Individuorum, & compositiones. 40.

Abstractiones Quantitatum sunt numerus & mensura 41.

Abstractiones secundae à Variis Genera Entium. 50. prioribus orae 42. &

§. 1.

**P**rimum criterium veritatis dixerimus esse sensum. Diximus, cogitationes omnes fieri de rebus organa sensuum ferientibus, quare necesse est, ut Objectum ratiocinationis etiam sint res, quae in sensu incurrunt.

I

§. 2.

quidem quae omnibus Entibus communes sunt

43. Intuitu diversorum modorum praedicandi sunt Praedicabilia. Quinque Praedicabilia Aristotelicorum imperfectio. 44.

An Universalia existant citrà mentis operationem 45.

Intuitu diversorum modorum existendi sunt Attribute Entis. 46.

Quae verò in specie pertinent ad actiones humanas sunt Entia moralia 47.

Quatenus abstractiones de se praedicentur. 48.

Compositiones intellectus vel Deo possibiles vel possibiles homini 49.

50.

50.

50.

50.

50.

50.

50.

50.

50.

50.

50.

50.

50.

50.

§. 2. Incurrit autem aliquid in sensus vel *immediatè*, quæ nempe communiter dicuntur *Objecta sensuum*, vel *mediantibus suis actionibus & effectibus*.

§. 3. Ulterius nullum est dubium, quin *mens* nostra sit *finita*, quia sensus evidentia ostendit, quod corpus mentem ambiens sit finitum.

§. 4. Jam omnia, quæ sensus feriunt, sunt *Individua*. Circa hæc autem intellectus noster ita versatur, ut aut comprehendat *separatim eadem confusè*, aut *distinctè* quoad *singulas partes* ea rimetur, aut *comparativè* ad alia vel *similia* vel *dissimilia* illa speculetur.

§. 5. Speculationes istæ & comprehensiones intellectus sunt *idea* seu *abstractiones*, quatenus nempe intellectui inhxerent, etiam si res organon sensus feriens non amplius præsens sit, atque ita à rebus, à quibus ortum suum ducebant, sunt quasi *abstracte*, e. g. *humanitas albedo*. Unde & eadem speculationes, quatenus in Individuis iterum tanquam iis cohxerentes ostendi possunt, vocantur *Concreta*, ut *homo, albus*.

§. 6. Porro omnis *ratiocinatio* fit per *comparationem* horum *Concretorum* inter se, dum vel unum alii per *additionem* quasi combinatur, vel per *subtractionem* ab altero removetur. Prius vocamus *affirmare*, posterius *negare*. *Abstractiones* nunquam inter se prædicantur,

§. 7.

§. 7. Nam nullum Individuum est, quod non habeat cum altero *convenientiam* & *disconvenientiam*, neque in uno Individuo *pars* aliqua est, de qua non simile quid adstruere possis. *Convenientia de se affirmantur*, *disconvenientia negantur*.

§. 8. Ceterum Definitiones veritatis & falsitatis superius traditz ostendunt, quod *affirmatio* rerum convenientium principaliter *veritati* congrua sit, *negatio* autem *disconvenientium* magis ad evitacionem *falsi* conducatur, quàm ad consecucionem *veri*, quare & de priori ratiocinatione hic potissimum erim9 solliciti.

§. 9. *Convenientia universalis* & *communis* tam rebus *extra mentem* quàm *actibus mentis* ipsis, dicitur *existentia*, unde & *universalis conceptus* ac qui primo principio proximè accedit, est *conceptus Entis*.

§. 10. Huic conceptui nullus alius conceptus *opponitur*. Nam etsi dicere velles, *opponi* ipsi conceptum *Non-Entis*, *impropria* tamen foret locutio, quia *Non-Ens* est *nihil* seu combinatio *affirmativa* rerum *disconvenientium*. At hæc combinatio non est *actus mentis*, sed *vesania*.

§. 11. Unde patet, *abstractiones ultimas* SCHOLASTICORUM, quoniam in nullis Individuis *convenientiam* habent, esse *revera nihil*, quoniam terminantur in conceptu *communi* inter aliquid & nihil, & ita *regnantur* primo principio.



§. 12. Vice versà *Ens rationis* frequenter cum Non Ente confundi, quia *Ens rationis*, ut infra videbimus, est actus mentis, adeoque est aliquid.

§. 13. *Ens* communiter dividitur in *DEUM* & *creaturam*, & rectè. Non autem rectè vulgè explicatur *conceptus rationis de Deo*. Deus non *immediatè* incurrit in sensus, quia non est corpus. At quæ sensus non incurrun, ea *distinctè* non possum concipere, quia non habent partes, neque *clare* quia per argumentationem & non *immediatè* per sensum cognoscuntur.

§. 14. Rursus Scriptura dicit, quod Deus sit *infinitus*, ergo intellectus meus iterum neque *clare* neque *distinctè* cognoscit, alias intellectus meus non esset *finitus*.

§. 15. Porro sunt varii *modi* perveniendi ad cognitionem aliqualem Dei. *CARTESIANUS*, secundum quem ex principio: *Ego cogito, ergo sum*, *immediatè* concluditur, Deum existere (quia *CARTESIUS* dicit, penes se esse conceptum certissimum Entis perfectissimi, quæ perfectio simul involvat conceptum existentiz) *infinitis* modis peccat, ut communiter *ANTI-CARTESIANI* ostendunt, quibus nunquam solidè respondit Cartesius, sed semper per *Postulata* indemonstrata & jam refutata.

§. 16. *SCHOLASTICI* tres potissimum commendant vias inquirendi Deum: *Eminentiz*, *Imperfectionis* & *Causalitatis*, ex quibus priorum dua-

duarum inconvenientiam ostendi alibi; simul verò quousque viâ *Causalitatis* procedere queat intellectus, nempe ut cognoscat, existere aliquam *causam primam verum sublunarium*, eamque *curam gerere actionum humanarum*.

§. 17. Quæ ultra PNEVMATICI vulgò & CARTESIANI plurima *Dei attributa* ex lumine naturæ demonstrare fatagunt, demonstrationes otiosæ sunt ac pessimè cohærentes, ac meditationes hominum otiosorum, inexhausta Dei mysteria arroganti irreverentiâ cribrò rationis exhaurite intendentium.

§. 18. Porro creatura est vel *Substantia* vel *Accidens*. *Substantia est Ens per se subsistens & sustinens Accidentia*. *Accidens est, quod est in alio tantquam in Subiecto*. Ita & CARTESIANI nisi quod *Substantiam* vocent *rem*, *Accidens* verò *modum*, & his duobus addant tertium i. e. *rem modificatam* exemplo corporis, rotunditatis, & corporis rotundi.

§. 19. Jam ita dico: *Homo nullum habet distinctum & clarum conceptum ullius Substantie create*. Probo (1) ex *Definitione Substantie*, quia conceptus *Entis per se subsistentis* est conceptus negativus, non aliter enim cum efferre possum quàm quod *non* existat in alio. Quod autem *Substantia sustineat Accidentia*, est conceptus *relativus*. (2) Quia *Substantia* non immediate in *sensus* incurrit, sed sola *Accidentia*. (3) Quia *substantiam* aliter concipere nequeo

I 3

quàm

quàm Ens, in quo est *unio plurium Accidentium*. Et sentio quidem, esse *aliquid*, quod unionem illam faciat, nescio verò, *quia fit*. (4) *Unio est actio*, actio est *Accidens*, ergò unio non est *ipsa substantia* &c.

§. 20. Probo ulterius. (1) Postulo à CARTESIANIS & PERIPATETICIS *existentiam* & *essentiam* differre. Illa dicit, quod fit *aliquid*, hæc *quid* fit. (2) Conceptum *Substantia* esse conceptum *essentia*, *Accidentium* verò esse conceptum *modorum* existendi. (3) *Substantiam* & *Accidens* differre, ut *Subjectum* & *Adjunctum*. (4) Ergò necesse esse, ut conceptus *Substantia*, si distinctus & clarus sit, differat ab *existentia* & *Accidentibus*. (5) Sed ab *existentia* non differt, quia genus *substantia* est *Ens*, *Ens* autem involvit *solam existentiam*, quæ adeò non potest esse genus *essentia*. (6) Neque ab *Accidentibus*, quia cognitio nostra de *existentia* rei omnis ab *Accidentibus* incipit. (7) Neque ab his *abstrahi* potest *Substantia*, quia abstractio vera convenire debet cum rebus *sensui præsentatis*. Unde abstractiones ab *Accidentibus* semper erunt *abstractiones Accidentium*. (8) *Ens* dum dividitur in *Substantiam* & *Accidens*, fundamentum *Divisionis* desumptum est *ex modo existendi*. Hæc enim ostendunt *Definitiones* utriusque. At (9) *modus* est *Accidens*. (hoc certè cognoscunt CARTESIANI) Ergò (10) necesse est, *omne Ens concipi per modum Accidentia* &c.

§. 21.

§. 21. Ex his sequitur (1) aduersus CARTESIANOS, *non differre conceptum rei à conceptu rei modificata.* Quia semper, dum rem concipiunt, quid sit, concipiunt simul ejus modum: Sine modo concipiunt saltem aliquid. At hic conceptus est conceptus communis Entis, non certæ speciei Entis. Quod si urgeant exemplum corporis & mentis, respondebo, eos id concipere per extensionem, hoc per cogitationem. At extensio & cogitatio modi sunt.

§. 22. 2. Aduersus CARTESIANOS, *dar formas Substantiales in omnibus creaturis, quæ quoad modos existendi differant, seu quoad Accidentia, quia Accidentia variant, ergo variat etiam eorum unio.* At unio illa est forma Substantialis, uti Accidentia ipsa sunt materia.

§. 23. 3. Aduersus CARTESIANOS & PERIPATETICOS, *hominem non habere etiam conceptum distinctum & clarum suæ formæ Substantialis;* quoniam sentit quidem cogitationem & corpus esse unita, nescit autem modum uniendi, seu in quo consistat illa unio, & quoniam jam demonstratum est supra, cogitationem non esse ipsam animam, sed modum saltem, neque solius animæ, sed totius hominis.

§. 24. Atque sic demonstravimus jam, quæ supra per modum *Postulatorum* præsupposuimus.

§. 25. *Accidens seu modus existendi à Peripateti-*

teticis ad novem summa genera seu *Prædicamenta* refertur, quæ, prout communiter ab ipsis explicantur, partim *deficiunt*, quia *Entia moralia* commodum locum in iis non inveniunt, ut de rebus *transcendentalibus* & *artificialibus* jam nihil dicam, partim *excedunt*, quia *relatio* non explicat modum existendi, qui res ipsas afficit, sed comparisonem unius rei ad aliam, quia item illæ *Categoriæ* non in rei veritate fundatæ sunt, sed sunt classes arbitrariæ à viribus imaginationis dependentes, & fortè non incommodè ab aliis ad *septem* genera revocantur his versiculis inclusa :

*Mens, mensura, quies, motus, positura, figura*

Sunt cum *materia*, cunctarum exordia rerum ;

Partim *multa evidenter falsa* supponunt, v. g. dum *longitudinem* referunt ad *Quantitatem*, *Objecta sensuum* ad *Qualitates*, ac asserunt *colorem* esse *Objectum visus*, cum tamen & *extensio* incurrat visum (ut de *motu* jam nihil dicam) ac ita *quantitas* simul sit *Qualitas* ; partim in inquirenda veritate *exiguum habent usum*, sed saltem apta sunt ad excogitandas subtilitates, & ipsas inutiles, nisi quod iis ad solvendas objectiones contra *axiomata* quædam inutilia de istis *Categoriis* utantur.

§. 26. *Substantia* vulgariter dividitur in *Spiritualem* & *corpoream* ? De *Spiritualibus* agit

PNEV.

PNEVMATICA, scilicet de *Deo, Angelis & anima separata*. Sed si unquam Philosophia Scholastica mysteria Theologiæ invasit, id hîc factum est. Paucis: *Substantiam spirituales ratio nostra nescit*, quia ipsius modus existendi non incurrit in sensus. Et miserandum profectò est, quod tot homines ratione pollentes se excrucient, ut unus alteri conceptum rei, quem non habet, verbis obscuris & ignorantiam parum palliantibus communicet.

§. 27. De *Deo* quidem quæ prædicata novit ratio, ea omnia cum *corporeitate* possunt subsistere, & imo Deus ipse, dum in Sacra Scriptura post lapsum Sanctis suis apparuit, semper se ad captum rationis humanæ accommodavit, ut id faceret sub *schemate corporeo*.

§. 28. *Angelorum* autem existentiam ut demonstrent, omni argumentò solidò carent, nisi vel ad Scripturam Sacram confugiant, quæ quidem lumine Pnevmaticæ non habebat opus, vel Vanum refugium quærant in testimoniis gentilium.

§. 29. Et considera modò, quò excreverint ineptiæ Pnevmaticorum, dum multi conati fuerint explicare *loquelam Angelorum*. Cur non etiam eorum *matrimonia, Respublicas contractus, cibum & potum?*

§. 30. O miseros verò homunciones, qui penetrare velint cogitationibus suis *statum anima separate*, cum non penetrare possint exactè

actè statum animæ corpori junctæ. Et quid putas, eos hac parte sani docere, cum homo de anima suâ præter cogitationem non habeat conceptum, status autem animæ separatæ repugnet definitioni cogitationis.

§. 31. *Corpus* ulterius in scala Substantiæ est vel *simplex* vel *mixtum*. Simplex vocatur *elementum*. Sed ignoscent mihi Physici, si dixerò, rationem essentiam elementorum distinctè non assequi, multò minus *species* eorundem & *numerum*, quia omnia Individua, quæ sensus incurrunt, sunt corpora mixta.

§. 32. *Quamvis* autem *compositio corporum*, quæ consideramus, ostendat in multis corporibus aliquid esse *commune* cum aliis corporibus, non necesse tamen propterea est, ut istud commune *per se* subsistat, aut ut sit *elementum*, neque ex nullò aliò corpore compositum.

§. 33. *Quare* ne quidem *de existentia elementis* ex ratione certus sum. Nam quæso, dum PERIPATETICUS definit *elementum*, quod sit corpus naturale, in quod alia corpora ultimò realiter resolvuntur, an unus ex tot myriadibus illorum unquam illam resolutionem ultimam tentavit, aut tentare potuit.

§. 34. Deinde *quaternarius elementorum numerus* profectò infirmissimò nititur argumentò, quod ARISTOTELES, in eo quæsiuit, quia quatuor possibiles sint combinationes quatuor qualitatum alteratricum, caloris, frigoris, hu-  
mi-

miditatis & siccitatis. Hæc quippe ratio æquè ineptè concludit, ac si quis ex numero duarum qualitatum motricum, levitatis & gravitatis duo elementa, aut ex combinatione figurarum extensionis, puta circuli, trianguli &c. multò plura procudere vellet. Ut adeò, quamvis communiter rideatur iste idiota, qui in recensionem quatuor elementorum locò terræ nominabat *cakeum*, verear valdè, ne risum etiam mereatur probatio, qua asseritur, *terram esse elementum*, & ita in reliquis.

§. 35. Ergo ex *revelatione* deducendum foret, unde omnia corpora, quæ cernimus, sint composita, & ex historia creationis. Ac si hoc, unde reliqua sunt composita, ipsum autem ex alio compositum haud est, elementum vocari debet, rudis illa & indigesta moles, quam Deus ex nihilo primo creavit, & quæ communiter *chaos* appellatur, est unicè illud elementum, quorsum & inclinavit aliquando CARTESIUS, quamvis postea sententiam suam mutaverit locò unius tria elementa suppeditans, quæ in præsentiarum examinare fusius, hujus loci non est.

§. 36. Neque etiam differemus prolixius de subdivisione corporis *mixti* in *perfectè* & *imperfectè mixtum*, præprimis cum non pauci ex ARISTOTELICIS ipsis hanc Divisionem omitant, statuentes, omne corpus esse perfectè mixtum. Hoc autem, dum Peripatetici dividunt  
in



in *animatum & inanimatum*, & ad hoc referunt *lapides & metalla*, facile refutari possunt, & ad-versus ipsos ostendi, *hec quoque corpora vivere, nutriri & crescere*. Similiter, dum differentiam inter *plantam & animal* tanquam species corporis animati ponunt in *sensione*, & per hanc *sensionem* animal brutum ab homine secernunt, nesciunt iterum, quid statuunt, quoniam non genuinum & distinctum conceptum *sensionis* habent.

§. 37. Cæterum sunt tamen *hec corpora mixta* Objectum ratiocinationis nostræ, quatenus *Accidentia* eorum, & potissimum *motus* sensus nostros feriunt, modò præjudicia seponamus, & Demonstrationes exactas & Mathematicas hîc non quæramus, eamque in rem non diffidendum est, CARTESII operam præ PERIPATETICORUM magis esse laudabilem.

§. 38. Etsi verò, ut aliquoties diximus, Individua semper sensus feriant, atque fundamentum omni ratiocinationi suppeditant, non tamen homo habet distinctum conceptum ipsorum *Individuorum*, quia nullus alius est conceptus Individui, quàm rei, quæ cum alia quadam communis & conveniens non est, unde ostendi quidem per *sensionem* possunt Individua, non autem demonstrari per ratiocinationem. Omnis enim Demonstratio fit per Propositiones affirmativas, at de Individuo Propo-

Propositiones affirmativas formare nequis, quia in Propositionibus affirmativis convenientia convenientibus junguntur. Unde frustranea est quæstio & autoribus suis digna, de principio Individuationis.

§. 39. Hoc equidem cognosco, *singularem aliquam unionem* plurium Accidentium discernere Individuum à reliquis Entibus. At in quo consistat illa *singularitas*, efferre non possumus. Atque hæc ipsa etiam unio singularis excitat in nobis sæpius affectus nostros, lætitiã, tristitiã, amorem, odium, quos certò in nobis deprehendimus, & tamen rationem eorum efferre non possumus: quò pertinet Gallorum *Je ne scay quoy*.

§. 40. Cæterum in reliquis rebus homo præter actiones mentis hætenus expositas adhuc alios quosdam conceptus sibi formare poterit, qui cum prioribus non sunt confundendi. Ecce enim abstractiones, quas hætenus habuimus dicuntur *Qualitates ortæ à motu rerum*. Præter eas fiunt quoque aliæ, quæ, *Quantitates* appellantur. Imo ulterius intellectus vel *novas* ab his abstractis primis *abstractiones* facit, quæ propterea etiam dici solent *Notiones secundæ*, vel *concretæ*, quæ à natura inter se non sunt combinata, *componit*.

§. 41. *Quantitates* quæ ab Entibus ope intellectus abstrahuntur, sunt *numerus & mensura*, seu *extensio*.

§. 42.

§. 42. *Nova abstractiones vel sunt communes omnibus Entibus, vel in specie pertinent ad actiones humanas.*

§. 43. *Communes omnibus entibus vel oriuntur occasione diversorum modorum predicandi, vel occasione aliorum modorum existendi, quàm quæ intuitu substantiæ & accidentis consideravimus.*

§. 44. *Priores vocantur Prædicabilia, item Universalia, quæ communiter quinque statuuntur; Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens, quamvis mihi quidem confusissima videatur doctrina de tribus ultimis, cum Proprio competat Definitio Accidentis, & sit saltem nobilissima Accidentis species, ac prætereà nullum habeamus distinctum conceptum Differentiæ ullius sine conceptu Accidentis, ne quidem in ipso homine, quippe cum cogitatio actualis sit Accidens hominis, quæ abest in profundè dormiente, facultas autem cogitandi denotet conceptum confusum.*

§. 45. *Non verò nos detinebimus in inani quæstione per tot secula ventilatâ: utrum Universalia existant citra mentis operationem præprimis cum ex dictis facilè pateat, quod eam negemus, adeoque accedamus sectæ Nominalium.*

§. 46. *Posteriores sunt illa prædicata, quæ à Metaphysicis vocantur attributa Entis seu affectiones, ut causa & causatum, totum & pars, Subjectum & adjunctum, unum, verum, bonum.*

§. 47.

§. 47. *Abstractiones secunda*, quæ in specie pertinent ad *actiones humanas*, vocantur *Entia moralia*, quæ ad Analogiam Entium physico-  
rum concipi possunt ad instar Substantiæ & modorum, ut jam ab aliis fuit ostensum.

§. 48. Quamvis autem supra dixerimus, *abstractiones inter se non predicari* nempe affirmativè, id tamen intelligendum est de abstractis primis: nam secundæ prædicantur etiam de primis, v. g. albedo est Genus, rationalitas est Differentia &c.

§. 49. *Compositiones rerum naturalium ab intellectu factæ* vel sunt *possibiles Deo*, vel sunt *possibiles homini*. Illæ dicuntur *Entia rationis*, ut chimæra, mons aureus, quorsum etiam refero *Ens potentiale*, quatenus intellectus id refert ad tempus præsens, v. g. quod Rosa possit existere tempore hyemis. Ab his autem oriuntur *Entia artificialia*, ut octangulum, calceus.

§. 50. Ergò ut dicta in summam contrahamus: Objectum ratiocinationis est *Ens*, idque vel *Physicum*, vel *Mathematicum*, vel *Logicum*, vel *Metaphysicum*, vel *Morale*, vel *Rationis*, vel *Artificiale*, quæ cave ne confundas. Fit enim id quotidie.

---

## CAP. VIII

### De Modo ratiocinandi.

SUMMA.

## SUMMARIA.

- A**lius modus perveniendi ad verum stri- *Terminus simplex est Demonstrationis incapax.*  
 Etè dictum, alius perveniendi ad verosimile. 1. 8.
- Demonstratio & Syllogismus Topicus. Analytica, Dialectica. Scientia, Opinio. 2.* *Demonstratio hypothetica tanquam ignobilior species huc non pertinet. 9.*
- Scientia neglectus communis aut insufficiens tractatio. 3.* *Demonstratio Propositionis universalis & particularis. 10.*
- Rejicitur subtilitas fecerendi scientiam τῆ διότι ab aliis speciebus scientiæ: item requisitorum communium scientiæ τῆ διότι Differentia eadem inter demonstrationem, probabilitatem & cavillationem. 4.* *Demonstratio Propositionis negativa fit per deductionem ad absurdum, & est ignobilior. 11.*
- Demonstrationis Definitio & probabilitatis. 5.* *Propositiones affirmative demonstranda vocantur Quaestiones. Quaestiones quatuor Aristotelicorum: An: Quid: Quod: & Cursit res? redactæ ad duas An sit: & Cursit? 12. Quomodo hæc duæ Quaestiones demonstrantur. 13.*
- Necessaria connexio assertionis cum primo principio quotuplex 6.* *Quaestiones: Unde & Cujus gratia quid sit ab Aristotelicis omisæ. 14.*
- Demonstratio à priori & posteriori. 7.* *Peculiaris probandi modus in Quaestione unde*

- unde quid sit. 15. nempe *Cur Peripatetici Physicis*  
*revelatio Historica* 16. *Unde plerumque non*  
*pertinet ad scientiam.* 17. quod notandum con-  
 trà Cartesianos pariter & Peripateticos. 18.  
 Quodnam *Ens præ altero*  
*scientiæ sit capax.* 19. *Ens Mathematicum vel*  
*maximè.* 20. *Non ita*  
*Physicum* 21. minus ad-  
 huc. *Ens Astrologicum*  
 22. *Quatenus Ens Lo-*  
*gicum.* 23. *quatenus Me-*  
*taphysicum,* 24. *mora-*  
*le,* 25. 26. *rationis,* 27.  
 28. 29. 30. *artificiale?* 31.
- Entibus tribuant sci-*  
*tiam, denegent artifi-*  
*cialibus?* 32. *Acciden-*  
*tium esse scientiam, non*  
*substantia.* 33. *Exemplo*  
*Entis Mathematici* 34.  
*contingentium esse sci-*  
*entiam* 35.
- Topica Peripateticorum* 36.  
*continet multa axioma-*  
*ta ad demonstrationem*  
*pertinentia.* 37.
- Concluditur: necessariam*  
*connexionem cum pri-*  
*mo principio sufficere ad*  
*demonstrationem.* 38.

## §. I.

CUM suprâ dixerimus, ratioci-  
 nationis finem esse *veritatem*, verum au-  
 tem esse vel *verum* strictè dictum vel *verosimile*,  
 hasque veri species dependere à diversis ratio-  
 cinandi modis, conveniens est, ut de istis *mo-*  
*dis ratiocinandi* quædam addamus distinctius.

§. 2. Modus autem, ut facilè omnes  
 consentiunt, quo *verum simpliciter* consequor,  
 appellatur *Demonstratio* seu *Απόδειξις*, & pars  
 Logicæ eum inculcans *Analytica*, habitus de-  
 K nique

nique ex istò modò ortus, *Scientia*: è diverso modus, quo *verisimilitudinem* consequor, vocatur *Sylogismus Topicus*, quem peto ex Locis Topicis *Dialectica* strictè dictæ (Sic enim nominatur illa pars Logicæ, ut & *Topica*) unde postea oritur *opinio probabilis*.

§. 3. *Scientiam & Demonstrationem* omnes crepant, pauci cognoscunt, multi nimia subtilitate rem perspicuam obscurârunt. Laudabilem tamen operam hac parte præstiterunt noviores quidam ex ARISTOTELICIS, interque eos potissimum MELCHIOR ZEIDLERUS. Nos libertate nostrâ utentes partim ex hæcenus demonstratis, partim ex evidentibus assertionibus mentem nostram aperiemus, unde facile lectori postea apparere possit, qua in parte à Scriptoribus reliquis & Magistro ipsorum ARISTOTELE abeamus, & quàm rectè.

§. 4. Quare missâ illâ subtilitate, quâ PERIPATETICI nimis anxie *scientiam τὴν διότι* à *scientia τὴν ὅτι* & ab aliis ejus speciebus fecernunt, ac postea dicunt, *scientiam τὴν διότι* tanquam analogatum nobilissimum esse definiendum, quod sit *habitus cognoscens rem per causam ejusdem necessariam*, missis item requisitis demonstrationis *τὴν διότι*, quod debeat constare Propositionibus (1) veris (2) immediatis (3) notioribus naturâ (4) prioribus, & quæ sint (5) causæ conclusionis; his omnibus, inquam, missis, partim ut evidentibus, partim ut inutiliter subtilibus, partim  
ut

ut *falsis*, nullam aliam differentiam inter *demonstrationem*, *probabilitatem* & *cavillationem* ponimus quàm quod *prima* pariat *veritatem firmam* & cum constantia animi conjunctam, *secunda* opinionem seu *cognitionem verosimilem*, sed aliqua tenus fluctuationi subjectam, *tertia* persuasivam *falsitatis ineptam* & *sophisticam*.

§. 5. Adeoque *Demonstrationem* definimus, quod sit *ostensio assertionis cujusdam per necessariam ejus tam primo veritatis criteriò, aut primo cognoscendi principio connexionem*. *Probabilitatem* autem, quod sit *ostensio assertionis per connexionem non necessariam*.

§. 6. *Necessariam connexionem* voco, quæ vel nititur immediatè *evidentiâ sensuum*, vel abstractionibus ex *evidentiâ sensuum* ortis & ad quas nulla dari potest instantia. Tales autem sunt *Definitiones rerum* & *Axiomata* inde orta.

§. 7. *Prior connexio* parit *Demonstrationem*, quam vocabimus à *posteriori*, *posterior* *Demonstrationem*, quam vocabimus à *priori*, non curantes videlicet, an in eodem præcisè significato *PERIPATETICI* *Demonstrationem* à *priori* & *posteriori* supponant, ob rationem modò dictam. Idem de sequentibus, quos usurpabimus, terminis hic semel monuisse sufficiat.

§. 8. Per *assertionem* intelligo in *Definitione* *Demonstrationis*, *Propositionem*. Quoniam enim, ut supra monuimus, conceptus



*termini simplicis* non datur, neque dabitur de eo ratiocinatio, ac multò minus Demonstratio, quæ est ratiocinandi modus.

§. 9. Prout autem propositiones dividi solent secundum communiter receptas quæstiones *quæ? qualis? quanta?* ita & Demonstrationes earum Propositionum variant. Primò verò de Divisione earum in *hypotheticas* & *categoricas* notandum est, etsi & *hypothetica* demonstrari possint, & ipsum illud tritissimum exemplum: Si asinus volat, habet pennas, necessariam connexionem habeat cum primo principio cognoscendi, tamen *Demonstrationem hypotheticam* tanquam ignobiliorem vel ideò huc non pertinere, quia jam suprà ob eandem rationem veritatem hypotheticam ut ignobiliorem rejecimus.

§. 10. Deinde Propositio est vel *universalis* vel *particularis*. *Universalis* demonstratur per *Demonstrationem à priori*, quæ comparatur ope inductionis. *Particularis* regulariter per *Demonstrationem à posteriori*, aliquando tamen etiam per *Demonstrationem à priori*.

§. 11. Denique propositio est vel *affirmativa* vel *negativa*. *Propositio negativa* demonstratur per *deductionem ad absurdum*, h. e. revocando ad illam primi principii partem: *Contradictoria* non possunt simul esse vera. Sed hæc Demonstratio rursus est *ignobilior*, quia, ut superius monuimus, propositiones negati-

væ

væ magis faciunt ad evitacionem falsi quàm ad veri consecutionem.

§. 12. Restant Propositiones *affirmative*, atq; hæ, quatenus adhuc demonstrandæ sunt, vocantur *Quæstiones*, & quidem communiter ex mente Aristotelicorum quatuor summa genera ejusmodi quæstionum producuntur in medium: *An sit? Quid sit? Quod sit? & Cur sit?* sive τῷ δίοτι; quarum priores duæ dicuntur pertinere ad controversias *de terminis simplicibus*, reliquæ ad *Propositiones*. Sed quod pace eorum dixerim, quemadmodum toties rejecimus conceptum *termini simplicia*; ita hæ quatuor quæstiones commodè possunt referri ad *duas*: *An sit aliquid & Cur sit?* ita ut in priori quæratur vel de existentia, vel de modo existendi, in posteriori de utriusq; causis, quod jam olim suboderatus est SIMPLICIUS, Philosoph9 accuratus.

§. 13. Quæstio: *An sit?* demonstratur quoad existentiam *totius* per Demonstrationem à posteriori quoad modum existendi *in partibus* partim per illam, partim per demonstrationem à priori. Quæstio: *cur sit?* demonstratur partim per rei *Definitionem*, partim per *effectum* &c.

§. 14. Id verò maximè videtur observandum, Aristotelicam quæstionum demonstrandarum determinationem non esse adæquatam, quia præter quæstiones dictas dantur adhuc aliz duæ: *Unde sit aliquid? & cu-*

*ius rei gratia fit?* Cur omiserint easdem, hōc locō non inquiremus prolixius. Certè & illam quæstionem, *cujus rei gratiâ* quid fit? Demonstrationi esse subjectam, patet exemplō *hominis*. Quæstionem autem *unde* quid fit? à gentilibus pro demonstrabili fuisse habitam, docet primum eorum falsum jam superius recensitum de duobus principiis cœternis, Deo & materia prima.

§. 15. Sed tamen id accuratam meditationem meretur; Etsi quæstio *unde quid fit?* semper etiam suō modō ad Philosophiam fuerit relata, tamen quàm maximè hic notandum, *eius esse peculiarem modum probandi*. Neque enim hic procedit argumentatio ex Definitione, aut Axiomatibus ex Definitione formatis, neque ex dēductione ad absurdum; neque ex inductione, sed aliō remediō est opus.

§. 16. Scilicet cum res pleræque, quæ præter hominem in hoc mundo existunt, diuturniore duratione sint præditæ quàm homo, pauciores rerum propagines in sensum humanum incurrunt; at in hac sensus evidentia nituntur demonstrationes prædictæ. Ergo necesse est, ut quæ de origine rerum plerarumque si non omnium, habemus, hausta sint *ab aliorum revelatione*, quæ communiter appellatur *Historia*.

§. 17. Cæterum cum Historia sit vel *Sacra* vel *Profana*, aut accuratius loquendo vel *Divina*,

*dina*, vel *Humana*, & verò *Divina* quà talis pertineat ad credenda & *Theologiam*, *humana* autem ad locos *topicos* magis quam ad demonstrationem spectet, inde suâ sponte sequitur, hanc quæstionem plerumque, & si potissimum de *prima rerum origine* quæstio instituat, non esse objectum Demonstrationis, sed *Syllogismi Dialectici*, adeoque eam non debere tractari in *Scientia*.

§. 18. Atque hoc eò magis nota, quoniam in hanc observationem impingit ferè quævis philosophantium caterva. Quis enim non novit, PERIPATETICOS pariter & CARPESIANOS e. g. in *Scientia Physica* tractare de *materia prima* & de *rerum elementis*.

§. 19. Restat, ut antequam ad *Topica* progrediamur, paucis notemus, quodnam *Ens scientiæ capax sit*, & utrum eorum magis ad Demonstrationem sit aptum. Responsum verò formabimus secundum varia *Entium genera* superius recentita, modo id notes, ab *Ente Mathematico* tanquam evidentissimo initium fieri debere.

§. 20. Hoc igitur *Ens Mathematicum* præ reliquis *Entium speciebus* demonstrari potest, quia *extensio* tanquam *consistens* quam maximè ad evidentiam sensuum deduci potest, *numerus* verò, etsi multum ab ingenio humano dependeat, tamen si ulla aliqua in re, certè hîc gentes inter se consenserunt, atque in singulis

lis populis voces numerum & extensionem significantes homonymiis non sunt obnoxia.

§. 21. Utiverò in Mathesi, quæ tota occupata est in compositione Quantitatis simplicis, Axiomata generalia & principia prima oculariter demonstrari possunt; ita in *Physicis* etsi *Conclusiones* incurrant in sensus, tamen quoniam causæ harum conclusionum partim à naturâ *motus* (qui tanquam *Ens fluctuans* non ita distinctè sensu percipi potest, & cujus causa etiam sensibus non est obvia) partim à quaestione, unde quid sit? dependent, facillè patet, quam exiguas Demonstrationes in *Physicis* quis expectare possit, in tantum, ut veritas mihi hanc vocem licet invito exprimat, *Physicam* quoad plerasq; doctrinas Substantiam rerum concernentes *nequaquam esse scientiam*, sed opinionem saltem probabilem parere, inque ea magis probabilia argumenta præ PERIPATETICIS adduxisse CARTESIANOS, aliosque Scriptores modernos libertate philosophandi utentes.

§. 22. Tractat autem *Physica* hodierna passim etiam doctrinam de *cælo*, parum quidem ad mentem ARISTOTELIS, qui in *Astrologia* cælum considerabat, sed facillè ex dictis conjicere potes, de cælo & corporibus cælestibus minus adhuc Demonstrationem expectari posse, quàm de corporibus sublunaribus, quia præter rationes modò adductas corpora cælestia propter nimiam eorum distantiam adhuc obscurius à visu percipi possunt.

§. 23.

§. 23. Pergo ad *Ens Logicum*, seu, ad *Predicabilia*, de quibus jam ex prænotatis capite præcedenti videre poteris, quàm multa pro & contra probabiliter differere possis; unde non erunt *Objectum scientiæ*, quod *numerum* eorum attinet. At quod attinet *Canones Topicos* de genere & specie, illi profectò sunt *Axiomata* talia, quæ necessariam cum primo principio habent connexionem, & ex quibus, *cæteris paribus*, potest *Demonstratio* fieri.

§. 24. De *Ente Metaphysico* dicendum, id partim ad *Demonstrationem* pertinere, partim ad *opinionem*, prout attributa *Entis abstracta* sunt *Entis physici* aut *Mathematici*. Ita v. g. *totum esse majus suâ parte* ita æternæ veritatis est, ut non pauci inter principia prima theoretica hunc *Canonem* posuerint, quoniam nempe de *extensione* est conceptus. Atqui de *causis, actu & potentia, Subjecto & Adjuncto &c.* concepti sunt *Canones Metaphysici*, quoniam maximam partem ad *Entia Physica* applicantur, infinitis limitationibus sunt obnoxii, quod indicio est, per eos aliquem ad *scientiam* pervenire non posse. Aliud tamen dicendum de *Canonibus Topicis ex genere Causarum* desumptis, ut infra videbimus.

§. 25. In *Entibus moralibus* distingue inter *Jurisprudentiam Humanam & Divinam*. *Humana & Divina positiva* pertinet ad *Topicam*, quoniam *regulæ interpretationis conjecturis* nituntur.

At *Naturalis est demonstrabilis*, quia fundatur in convenientia cum natura hominis, quæ in sensum cujuslibet incurrit. Et qui scrupulos hac parte movent, vel apertè possunt convinci, quòd laborent præjudiciis præcipitan-  
tiz vel affectuum, vel litem inanem movent in terminis.

§. 16. Non tamen diffitendum est, in rebus moralibus *minorem* esse scientiæ gradum, quàm in *rebus Mathematicis*, quia res Mathematicæ incurrit in sensus externos, maximè in visum. At res morales fundantur in natura hominis, scilicet in cogitatione, quæ magis percipitur sensu cujuslibet internò, seu stylò Cartesii conscientia, quàm sensu externò.

§. 27. Ridebunt me fortè Philosophi unanimiter, quod qui Entibus physicis denegavi scientiam, eandem asseram Entibus *rationis*, cum hæc quidem non videantur mereri, ut inter Objecta ratiocinationis referantur. Sed origo risus istius nulla est alia quam quod falsò habeant Ens rationis pro specie non Entis, cujus tamen contrarium est evidens, quia Ens rationis haud dubiè est modus cogitationis, cogitatio verò est, nisi fallor, Ens reale. Jam quis dixerit modum Entis realis esse Non Ens.

§. 28. Non tamen assero, scientiam cadere in *omnia Entia rationis*, vereor quippe, ut commodè id dici possit de Entibus rationis

*Sub-*

*Substantias* diversas combinantibus, ut chimæra, monte aureo, quoniam separatæ horum Entium Substantiæ non possunt demonstrari. Sed de iis, quæ combinant *Accidentia Physica* in sensus incurrentia, aut *Entia Mathematica*, scientia esse poterit.

§. 29. Et neget mihi Peripateticus, si audeat, Propositionem istam: *Si asinus volat, habet pennas*, esse æternæ veritatis. Idem dicendum est de Demonstratione v. g. *de chiliogono*, de qua CARTESIANI tot verba faciunt. Nam arbitror, & chiliogonum esse Ens rationis, quoniam valdè dubito, homines ejusmodi corpus fabricare posse.

§. 30. Ne tamen crabrones hic nimis iritemus, fatemur, omnium *ignobilissimas esse Demonstrationes de Entibus rationis*, neque magnum habere usum, quoniam fiunt per Propositiones hypotheticas, quales ob ignobilitatem suam jam suprâ rejecimus.

§. 31. Restat Ens *artificiale*, de quo frustrâ rursus dissentientibus PERIPATETICIS, qui ejusmodi Entia nec definiri nec in Prædicamento esse ineptè asserunt, sine hæsitatione dico, id recipere Demonstrationem & scientiam, quia id videlicet nihil est aliud, quàm Conclusio Entis Mathematici.

§. 32. Tentabimus tamen, an πρώτων ψευδῶν invenire possimus, cur PERIPATETICI Entibus *physicis* scientiam attribuant, denegent *artifici-*



*artificialibus.* Nempe summus ARISTOTELES ita procedebat: *Substantiarum est scientia, non Accidentium.* Tot ergo sunt scientiæ, quot Substantiæ, quales tres statuebat, Deum, Cælum & corpus naturale, huic correspondebant Metaphysica, Astrologia & Physica. Unde & Mathesin pro scientia non habebat, quoniam circa Accidentia occupata est.

§. 33. Ego contra Philosophorum infimus dico, *Accidentium esse scientiam, non Substantia,* quoniam hactenus demonstravi, Accidentia incurrere in sensus, at formas substantiales ignorari ab homine.

§. 34. Neque timeo, quod in crimen incidam læsæ Majestatis Aristotelicæ, quam videlicet tam enormiter jam violarunt, qui à Christo & Aristotele se denominari cupiunt, quod admiserint *demonstrationes in Mathesi.* Cur itaque non & in artificialibus? quia videlicet orant Philosophiam suam ut Moniales Pater noster.

§. 35. Sed audio proferri, ARISTOTELEM jussisse, ut *necessariorum sit scientia non contingentium,* qualia sunt etiam artificialia. At jussus iste nos non ligat, quin invertamus, omninò *contingentium scientiam esse,* partim quod omnes creaturæ sunt contingentes, quarum tamen scientiam admittit Philosophus, partim, quod lex ista Aristotelica jam conculcata est ab elegantioris Philosophiæ Viris qui-

quibusdam celeberrimis, qui jam dudum defenderunt, Moralia, quamvis & ipsa contingentia, posse demonstrari.

§. 36. Jam videamus *Topica*, quæ ex communi PERIPATETICORUM sententia suppeditare debent argumenta probabilia opinionem parientia, quale quid de quibusdam ut v. g. de locis à *testimonio* humano, à *comparatis*, ab *Etymologia*, à *conjugatis* &c. facile admitto, quoniam canones, qui hic traduntur, multas patiuntur instantias. At profectò, si de omnibus locis topicis idem foret asserendum, ingenuè fateor, me nullam videre differentiam inter Demonstrationem & Syllogismum dialecticum.

§. 37. Etenim quid hoc novæ rei est, quod inter Locus Topicos referant *Definitionem*, cum tamen ipsimet fateantur, aliàs *Definitionem* esse *Demonstrationem*? Et an unam poterunt instantiam suppeditare, quod iste canon, v. g. fallat; cui competit *Definitio*, illi & *Definitum*. Simile quid de locis *causarum*, *universalium*, *totius* & *partium* statuo, quorum regulæ communes ita sunt universales, ut exactissimè convenient cum primo principio.

§. 38. Sed fortè negabunt, sufficere ad *scientiam* solam istam *necessariam connexionem cum primo principio*. Ego verò reponam, negationem hanc facile removeri posse, quoniam, ut dixi, concedunt, finem *Demonstrationis*

nis esse veritatem firmam ac stabilem, cujus rei gratia sudant in tot demonstrationis speciebus & requisitis cudendis. Cui usui? An homo sanâ mente præditus de veritate assertionis cujusdam dubitare potest, si ejus necessaria connexio ostendatur cum illô principiô: Impossibile est, idem simul esse & non esse?

## CAP. IX.

De

### Mediis ratiocinandi.

#### SUMMARIA.

- S**yllogismus, de quo Veteres diversimodè senserunt, 1. non est solum ratiocinandi medium. 2. Methodus dicendorum. 3. Divisio mediorum ratiocinandi. 4. Syllogismi conducunt ad ostendendos errores. 5. non ad inveniendam veritatem, quod declaratur exemplo probæ per crucem in Arithmetica. 6. 7. Utilitatem aliquam afferunt incipientibus non adultis. 8. Excessus subtilitatum Logicarum vitandus. 9. Logica vulgares magis abbrevianda quam augenda vel emendanda. 10. Judicium super doctrinâ de Propositionum substitutione, oppositione, conversione & equipollentiâ. 11. Quoad figuras syllogisticas sufficit prima. 12. Modus probandi conclusionem affirmativam. 13. In Barbara & Darii. Modi Darapti & Datisi superflui. 14. Modus Disamis inutilis. 15.

Con-

<p><i>Conclusio negativa.</i> 16. <i>Celarent &amp; Cesare.</i> 17. <i>Ca-</i> <i>mestres.</i> 18. <i>Ferio, Festi-</i> <i>no, Felapton, Ferison.</i> 19. <i>Baroco.</i> 20. <i>Bocardo.</i> 21.</p> <p><i>Inutilis subtilitas doctrina</i> <i>de reductione syllogi-</i> <i>smorum.</i> 22.</p> <p><i>Pons asinorum, dignum ca-</i> <i>stellum, cui praeficiantur</i> <i>Magistri Nostri.</i> 23.</p> <p><i>Oratione continuâ ratioci-</i> <i>namur partim in Dis-</i> <i>curfibus partim in scri-</i> <i>ptis</i> 24. <i>Pedanticum est,</i></p>	<p><i>in scriptis adhibere syl-</i> <i>logismos in formâ.</i> 25.</p> <p><i>Dialogi discursibus longio-</i> <i>ribus constantes quan-</i> <i>do adhibendi.</i> 26. <i>non</i> <i>apti sunt ad Disputa-</i> <i>tiones Academicas.</i> 27.</p> <p>28.</p> <p><i>Utilitas Questionum &amp;</i> <i>responsionum brevio-</i> <i>rum.</i> 29. <i>Cur ea ne-</i> <i>gligantur in Academiis</i> <i>30. Responsio ad obje-</i> <i>ctionem.</i> 31.</p>
--	---

§. 1.

**S**I EX PERIPATETICO quæras, quodnam sit *Medium Ratiocinandi*, promptè respondebit, esse *Syllogismum*, huic quippe *Logica* nihil est aliud quam ars faciendi *Syllogismum*. Et illi quidem facillè assentietur *STOICUS*, *Syllogismis* & ipse ad excessum usque deditus. *EPICURUS* contrà hujus scientiæ deliramenta contemnit, nihil interesse arbitratus, si ve quis dicat (1) *Omnis homo est animal rationale*, *Plato est homo*, ergò *Plato est animal rationale*, si ve (2) *Plato est homo*, ergo *animal rationale*, si ve (3) *Plato est animal rationale*, quoniam *homo est*, si ve (4) *Omnis homo est animal rationale*, igitur & *Plato*; si ve (5) *quia Plato est homo*, igitur & *animal rationale*.

§. 2.

§. 2. Et an putas, PLATONEM, CICERONEM aliosque Viros egregios, qui *Dialogis & Questionibus* in veritatem inquisiverunt, haud quaquam ratiocinatos esse? An tot *Excellentissimi Scriptores* omnium seculorum, qui omnes Philosophiæ partes perspicuâ & continuâ oratione, in qua horridum illud: *Quicquid, Atqui, Ergo*, filet, nugas scripsisse arbitraris? An denique *Principem* cum *Consiliariis* de rebus gravissimis conferentem irrides, quod non Syllogismum faciant in *Barbara*, vel *Camestres*.

§. 3. Quare ut mediâ hic incedamus viâ, considerabimus initio: *quot sint media* ratiocinandi? tum eadem inter se *comparabimus*.

§. 4. Vel itaque ratiocinamur per *Syllogismum*, vel per *Discursum Syllogismis carentem*. Posteriori modô vel oratione *continuâ*, vel ab altero interruptâ, ut fit in *dialogis*. Denique dialogi sunt duplicis generis, aut enim & ipsi discursibus *longioribus* constant, vel quæstionibus & responsionibus *perbrevibus*. Illorum exempla suppeditat CICERO, horum PLATO.

§. 5. Ergo etsi nullum sit dubium, ratiocinationem non solum absque forma Syllogistica aliquando commodè fieri *posse*, sed &, ut ex sequentibus patebit, quandoque fieri *debere*, tamen sic arbitror, nullam commodiorem viam esse alicui monstrandi *errores* circa *connectionem Propositionis cum Propositione* aut *circa conversionem & æquipollentiam Præpositio-*

fictionum commissos (quod frequentissimè non solum à tironibus, mulierculis & vulgo, sed & sæpe ab iis, qui inter eruditos volunt esse excellentissimi, fieri solet) quàm per *Syllogismum*, quoniam videlicet præsupponitur, ipsas regulas Syllogisticas, aut quæ traduntur de conversione & æquipollentia Propositionum, fundamentum aliquod in re habere, peccatum autem contra regulas commissum evidentissimè in sensus incurrere.

§. 6. Quod si simili rem declarare debeam, videtur apè huc quadrare *proba per crucem* ab Arithmetiis in doctrina additionis usurpata. Quemadmodum enim (1) ista proba per se nihil conducit ad additionem rectè formandam, sed saltem aliquando ostendit, quando additio non rectè formata sit: ita regulæ syllogisticæ &c. nihil conducunt ad veritatem inveniendam; sed saltem ostendunt suò modò, quomodo falsitatem evadere queam.

§. 7. Dico suò modò, unde (2) quidem in ista proba per crucem, si numerus superior & inferior non conveniant, indicio est, additionem se rectè non habere, at non semper inferre licet; conveniunt, ergò additio rectè se habet: ita in regulis istis syllogisticis ita quidem concludere possum; *peccatum est contra regulas, ergò de veritate non sum tutus, non autem vice versâ, observavi regulas, ergò conclusio est vera.*

§. 8. Igitur quemadmodum (3) proba per

L

cru-

crucem solum usurpari solet pro *incipientibus* & ad evitandum tedium probæ alterius per subtractionem: ita & regulæ istæ syllogisticæ tantum utilitatem habent aliquam in iis, qui in rationatione *nondum sunt consolidati*, tum si ipsimet velint examinare secundum rationem dictam meditationes proprias, tum si ipsis demonstranda sit vitiositas illationis, tum deniq; si auditoribus tironibus ostendenda sit vitiosa conclusio tertii quamvis adulti.

§. 9. Sed cavendum tamen & hic est, ut ne & in rebus non magni usus cum SCHOLASTICIS & LOGICIS *vulgaribus* excedamus, atque doctrinam Syllogisticam ita excolamus, atque multis subtilitatibus ac infinitis observationibus augeamus, quasi in iis sita sit salus Græciæ, cum tamen ex dictis evidens sit veritas istius vulgati; *Purus putus Logicus est purus putus asinus.*

§. 10. Neque tamen propterea opus est, *novas regulas* formare idem inculcantes, quod à PERIPATETICIS posita jam faciunt, multò minus aliæ regulæ Peripateticis superaddendæ erunt, quia tunc profecto entia utrobique præter necessitatem multiplicarentur, sed potius, si quicquam innovandum, ostendendum est, quibus doctrinis commodissimè possimus *carere* tanquam omnino *superfluis* & parum utilibus. Ego sic sentio.

§. 11. Doctrina de *Propositionum subalternatione & oppositione* non magnum habet usum, quia

quia circa eam profectò rarissimè homines impingent. At *æquipollentia* & *conversio* Propositionum eò distinctius est imbibenda, quia præprimis in eo peccari solet non infrequenter, quasi Propositio universalis affirmativa semper simpliciter converti debeat, & in doctrina *æquipollentis* sæpe promiscuè usurpantur, quæ non *æquipollent*.

§. 12. *Figuras syllogisticas* quod attinet, possemus carere *secundâ* & *tertiâ* (tantum abest, ut *quartam* prioribus putemus esse superaddendam, quia conclusiones tam affirmativæ quàm negativæ, tam universales quàm particulares comprehenduntur sub modis primæ figuræ.

§. 13. Scilicet, si conclusio sit *affirmativa*, necesse est, ut & *medius terminus* connexionem habeat *affirmativam* cum Subjecto aut prædicato conclusionis, quia aliquoties diximus, Propositiones affirmativas inquirere veritatem, negativas saltem evitare falsitates; igitur ex negativo medio termino nunquam poteris inferre conclusionem affirmativam, quia per solam evitacionem falsitatis nunquam pervenimus ad verum.

§. 14. Quod si igitur conclusio affirmativa sit *universalis*, sponte suâ Syllogismus prodit in *Barbara*, imò *necessariò* prodit, quia in *secunda* & *tertia* figura nullus modus habet conclusionem universaliter affirmativam. Quod si vero conclusio sit *particularis affirmativa*.



*tiva*, sponte suâ Syllogismus prodit in *Darii*, non tamen *necessario*, quia etiam potest formari in *tertia* in *Darapti* & *Datifi*, sed absque ullâ necessitate, quia hi modi facillimè reducuntur ad *Darii*.

§. 15. Nisi tamen *medius terminus particulariter connectatur* cum prædicato conclusionis particularis affirmativæ, ut si velim asserere, quoddam animal esse nigrum, quia quædam avis sit nigra, tum enim necesse est, ut Syllogismus fiat in *tertia figura* in *Disamis*, adeo non poterit etiam iste modus reduci directo ad primam figuram. Neque tamen hic Syllogismus aut *medius terminus* multum erudiet, quia fere probat idem per idem. Qui enim dubitat, an quoddam animal sit nigrum, æquè dubitabit, an quædam avis sit nigra, donec provoces ad corvum, & tum statim habebis Syllogismum in *Darii*.

§. 16. At conclusiones *negativæ* æquè poterunt probari per *medios terminos affirmativos* quàm *negativos*, quia non solum evitatio unius falsi poterit usum præbere ad evitandum alterum, sed & ex propositione vera quàm maximè discere possum evitare falsum.

§. 17. Si igitur conclusio *universalis negativæ* probatur per *medium terminum affirmativum*, facillimè habebis Syllogismum in *Celarent*, nec opus est, ut in *secunda figura* quæras *Cesare*, cum *Cesare* sponte quasi reducatur ad *Celarent*,

rent, in tertia verò figura ne quidem poteris hoc casu Syllogismum formare.

§. 18. At si conclusio *universalis negativa* probetur per *medium terminum negativum*, putarunt Peripatetici non procedere Syllogismum in *Celarent* primæ figuræ, quia minor fieret negativa & major particularis, igitur refugium quæsierunt in *Camestres* tanquam modo secundæ figuræ, eamq; directo ne quidem ad primam reduci posse putarunt absque ulla causa, & modò hoc unicum hic observâssent, locò majoris particularis affirmativæ faciendam fuisse Propositionem universalem negativam, sed infiniti Subjecti, quo pacto minor etiam negativa æquipollet affirmativæ, & hoc modo, nec aliter, reducendus est modus *Camestres* ad *Celarent*.

§. 19. Si *particularis negativa* conclusio probetur per *medium terminum affirmativum*, habebis non difficulter Syllogismum in *Ferio*, nec opus est formare Syllogismum aut in *Festino* secundæ, aut in *Felapton* vel *Ferison* tertiæ, quia hi omnes spontè reducuntur ad *Ferio*.

§. 20. Sin verò probetur per *medium terminum negativum*, putarunt iterum Peripatetici, quasi non procederet argumentatio in prima figura ob minorem negativam, cum tamen perpendere debuissent, majorem hîc iterum esse negativam cum infinito Subjecto. - Neq; adeò opus habuissent refugium quærere in *Baroco* secundæ,

da, vel statuere, quod hic modus non nisi per impossibile posset reduci ad primam figuram, cum reductio sit evidentissima, si major convertatur per contrapositionem.

§. 21. Quod si tamen in conclusione particulari negativâ medius terminus *negativus particulariter cohereat cum predicato conclusionis*, e. g. quoddam animal non est nigrum, quia quaedam avis non est nigra, tum non poterit Syllogismus extrui in primâ figurâ, sed necesse est, ut recurramus ad *Bocardo* tertiæ, de quo tamen modo eadem hic repetere, quæ diximus modo de *Disamis*.

§. 22. His subtilitatibus adeò subsistunt isti modi trium figurarum, dolendum verò est quàm torqueatur juvenus communiter in doctrina *de reductione secunda & tertiæ ad primam*, cum tamen jam B. Pater ostenderit duabus regulis evidentissimis & facillimis, quomodo reductio illa multò rectius & convenientius possit institui.

§. 23. *De inventionemædii* ut nihil dicam, quam doctrinam ipsimet jam *pontem asinorum* dixerunt appositè, digni videlicet, ut in istum pontem, ut olim servi apud Romanos in pistrinum, condemnentur: Et profectò, si unquam jure optimò procesit retorsio, hic procedet adversus MARTINUM SCHOCKIUM, docentem, pontem asinorum ideò dici, quod, qui contemnant istum pontem, sint asini; videlicet pro asinis habent-

habendos esse, qui illum æstiment. & magni faciant.

§. 24. *Oratione continuâ* utimur, cum verſamur inter *adultiores & eruditos*, unde non ſolùm in *diſcurſibus collegiorum* ejusmodi ratiocinandi genus adhibemus, quamvis hîc maximè proptertirones adultioribus admixtos ſæpe intermiſceri ſoleant Syllogiſmi; ſed & potiffimum in *ſcriptis*.

§. 25. Quæ cum regulariter communi cenſuræ orbis eruditi exponantur, facilè patet, quàm *pedanticum ſit, Syllogiſmos in forma adhibere*, quaſi Lectores habeamus pro tironibus, diſcuſſum abſque Syllogiſmo non capere valentibus.

§. 26. Præfato ratiocinandi modo affines ſunt *Dialogi diſcurſibus longioribus conſtantes*, quos præ oratione continuâ adhibere ſolemus, partim quod magis *delectent*, partim quod non tam exactam requirant *methodum*, ut oratio continua. Ex quo fluit, quod iſte modus ratiocinandi hominibus ingeniô pollentibus ſit *facilior*, utpote non ita profundas meditationes requirens. Sed *ad informationem* aliorum non ita aptus eſt, ob laxitatem methodi.

§. 27. Quapropter, quoniam in ejusmodi Dialogis facillimus eſt tranſitus ab unâ quaſtione ad aliam, & inſuper multi mediî termini ibidem ſunt cumulati, quæ cumulatio impedit, ut homines in eruditione non probè ſubacti, earum connexionem ſtatim unô mo-

mentó capere & expendere possint, apertum est, hunc modum ratiocinandi parum aptum esse *ad Disputationes vivâ voce prolatas.*

§. 28. Etsi verò Viri eruditi quidem eam præ Disputatione Syllogistica commendaverint, vel intelligendi tamen ipsi sunt de hominibus eruditioribus, vel certè non interfuerunt disputationibus minus eruditorum, in quibus quotidie deprehendimus pugnam andabatarum certamini non dissimilem, quoties disputantes à Syllogismis transeunt ad discursus.

§. 29. Iste verò modus ratiocinandi per *quæstiones & responsiones perbreves* aptissimus est ad informationem vivâ voce peragendam, & in disputatione convincendum adversarium, ac deducendum ad absurdum: quod maxime ostendunt dialogi PLATONIS.

§. 30. Quod verò in *Academiis nostratibus negligatur*, videtur originem debere diffidentiz veterum Magistrorum, qui facilius sibi esse putarunt opponentem eludere distinctionibus quibuscunque nihil significantibus ad argumentum in forma applicatis, quod non facile procedit in responsionibus ad quæstiones, partim facile præviderunt, solidiorem in respondente requiri eruditionem, si ad quæstiones instar exanimis quid habentes respondere teneatur.

§. 31. Nam si quis *objiciat*, modum disputandi Platonicum per quæstiones ideo esse ab-  
roga-

rogatum, quod opposcentes Sophisticè agere cupientes faciliùs possint respondentes seducere, responderem, id procedere non nisi in idiotâ. At idiotam etiam Sophista seducere poterit per Syllogismos, & multò magis quidem, quoniam multò plures sunt modi sophisticè argumentandi quàm sophisticè quærendi. Imò in argumentatione sophistica Sophista pro lubitu sibi Sophismata efformat, & ad id multa præmeditari potest, at in quæstione ferè unicè ipsi occasionem præbet inepta responsio alteri, quam ita faciliè prævidere & ad seductionem se præparare nequit.

## CAP. - X.

De

## Methodo &amp; Ordine ratiocinandi.

## SUMMARIÆ.

**M**ethodus & ordo usurbet arbitrio sunt relinquenda, unde axiomatizantur synonymicè. methodum debere esse arbitrariam, 4.

*Regula bona Methodi: A notioribus semper progrediendum esse ad minus nota, 2.* Scholasticorum ineptia circa doctrinam de methodo, 5.

*Bona methodus non nisi unica, 3.* (I.) Distinctio notiorum in notiorâ natura & notio-

L 5

notiora nobis 6. *Questio an bona methodus debeat incipere à notioribus naturâ, an à notioribus nobis? Respon-*  
*sio communis.* 7. *Limitationes duæ.* 8. *Ostenditur inconuenientem esse illam distinctionem*  
 9. *Et miscere duplicem Et diversam notiorum significationem.* 10. *Porro: semper incipiendum esse à notioribus nobis.*  
 11. *neque limitationes aliquod momentum as-*  
 12.

1.) *Divisio Methodi in*  
*syntheticam, quæ obser-*  
*vari debeat in Philoso-*  
*phiâ Theoreticâ, Et*  
*analyticam, quæ in Pra-*  
*cticâ.* 13. *Aristotelici*  
*non perceperunt men-*  
*tem magistri sui.* 14. *U-*  
*traque methodus in*  
*utrâque Philosophiâ lo-*  
*cum inuenire potest.* 15.  
*Ostenduntur alia falsæ*  
*in istâ doctrinâ de divi-*

*sione methodi præsuppo-*  
*sita.* 16. *respondetur ad*  
*differentiam à Cartesia-*  
*nis inter methodum*  
*Syntheticam Et Analy-*  
*ticam.* 17.

(III.) *Regulae speciales de*  
*methodo.* 18. *tolerari*  
*possunt quidem, at non*  
*tanquam regula.* 19.  
*Contra leges Demonstr-*  
*tionis Et bone methodi*  
*peccat μεταβασις εις*  
*ἄλλο γένος.* 20. *Quid*  
*sit μεταβασις? Ea se-*  
*cundum Peripateticos*  
*triplex.* 21. *Vel ratione*  
*Subiecti, vel ratione*  
*predicati, vel ratione*  
*medii,* 22. *Priores due*  
*magis peccant in leges*  
*justitiæ.* 23. *aut in leges*  
*ordinis.* 24. *Questio-*  
*nes ex predicatis judi-*  
*candæ, ad quam disci-*  
*plinam pertineant.* 25.  
 26. *unde nulla μεταβα-*  
*σις, tantum ratione Sub-*  
*jecti est. Quatenus,*  
*quando Predicatum ad*  
 nostram

nostram disciplinam pertinet, Subjectum alterius disciplina, fuscè exponere possimus absq; vitio ordinis, 28. 29. 30. Ratio methodi, quod superius de homine tractaverimus. 31. Quandoque una disciplina potest uti medio termino alterius. 32. Quatenus hoc licitum sit, secundum sententiam Peripateticorum, si nempe disciplina sint subalternata. 33. Quae vero subalternata dicantur, non consentiunt. 34. 35. Subalternatas non confundendas esse cum subor-

dinatis. 36. quatis est Philosophia Theologia. 37. Malè à fabricatoribus Philosophia Christiana in partes trahitur Johannes Neldelius. 38. Inter disciplinas à ratione dependentes non datur  $\mu\sigma\tau\alpha\beta\alpha\omicron\varsigma$  intuitu medii termini, neq; enim hic peccatur in leges ordinis, sed peccari saltem potest in leges veritatis. 39. Ratio, cur Peripatetici de hâc specie anxii esse soleant. 40. Propterea tamen non dari contra-dictorias veritates. 41.

§. 1.

**M**ethodum & Ordinem hîc sumimus  
 Synonymicè, etsi PERIPATETICI quandoque hæc duo distinguant, ut methodi officium sit *demonstrare*, Ordinis, *Demonstrationes disponere*, item ut ordo pertineat ad integram disciplinam, methodus ad singulas partes; quare dicunt etiam ordinem juvare & promovere cognitionem, methodum autem eandem gignere & efficere.

§. 2.



§. 2. Res autem ipsa loquitur, quoniam methodus nos ducere debet *ad veritates incognitas* tanquam ad finem, (ubi enim veritas statim per evidentiam sensus demonstrari potest, ibi nullâ methodo est opus, quia non nisi unicus medius terminus adest immediatè ab ipso primo principio desumptus) & verò impossibile est, ut per æquè incognitum possim cognoscere aliud incognitum, necesse est, ut *ex rebus jam cognitis* sectemur veritatem. Quare regula bonæ methodi est: *eam à notioribus semper debere progredi ad minus nota.*

§. 3. Quæ regula cùm universalis sit, ut vides, quoniam nullam patitur instantiam, vel ex hoc patet, *bonam methodum non nisi unicam esse.*

§. 4. Nam quod *regulas speciales* concernit, quia hominum notitia *in finitis* modis variat, ita ut quod uni sit cognitum, alteri tale non sit, ideò *regula speciales de methodo tradi nequeunt*, sed cujuslibet prudentiæ ad variationem circumstantiarum se accommodanti est relinquendum, quomodo argumenta hic sint collocanda. Quo respicit usitatissimus canon: *Methodum semper esse arbitrariam*, quem sic expone, ne cum regula generali pugnet, id est, ut si duo concurrant æquè incognita, vel cognita, incipere possim pro lubitu ab alterutro.

§. 5. Paucis hinc meditationibus perspicuis

cuis absolvitur doctrina de methodo. Jam cogita modò, quàm inutilibus tricis eam obfcuraverint SCHOLASTICI, & reliquum Aristotelicorum vulgus, dum (1) per distinctionem inter *notiora naturâ* & *notiora nobis* omnia ferè in doctrina de methodo miscuerunt (2) methodum in *duas* vel *tres species* dividerunt, (3) *canones speciales* de methodo tradere voluerunt.

§. 6. Initio *naturâ notiora* vocant principia, ex quibus conclusiones deducuntur, id est universalialia, quoniam v. g. animal naturâ notius est quàm homo, cum in Definitione hominis occupet locum generis; *notiora nobis* verò, quæ ille, cui quid demonstrandum, jam agnoscit, unde dicunt, *notiora naturâ posse esse nobis non notiora*, ut si quis æquè ignoret, quid sit homo ac animal, *notiora autem nobis semper esse, quæ in sensus incurrunt.*

§. 7. His præsuppositis incipiunt litigare, *an bona methodus debeat incipere à notioribus naturâ, an à notioribus nobis?* Qui verò accuratiores hac parte sunt, ita paucis differunt: *Incipiendum regulariter esse à principio tanquam notioribus naturâ, quod si tamen & ipsa non sint notiora nobis, opus esse, ut à notioribus nobis investigemus ipsa principia: hoc est: in omnibus disciplinis prius esse ponenda principia, deinde conclusiones ex principiis istis esse deducendas; in singulis autem istis si quod dubium occurrat, tollendum esse per notiora naturâ.*

§. 8.

§. 8. Addunt etiam *duas limitationes*: primò nisi res cognoscendæ ita sint connexæ, ut unius cognitio absque altera esse non possit, ut in toto & parte, aut de duabus rebus agatur, quarum neutra alteri prior sit, ut de duabus conspicietur v. g. animali & plantâ &c. tunc enim initium fieri posse ab alterutra, pro ut libuerit.

§. 9. Sed in dictis inconveniens est, quod *notiora naturâ* opponantur *notioribus nobis*, quasi per naturam non intelligenda sit *natura nostra*. Deinde cum dicunt, notiora naturâ esse universalia, notiora nobis modo universalia esse, modò ea, quæ in sensus incurrunt, fatentur *species hujus distinctionis non esse oppositas*, quoniam concedunt, universalia certò respectu esse posse & notiora naturâ & notiora nobis.

§. 10. Scilicet in ipsâ distinctione illa *homonymiam* admittunt terminum istum notiorum *dupliciter supponentes* modò pro iis, quæ *actu* ipsò cognita sunt, & demonstratione non indigent, ut ea, quæ in sensus incurrunt (ex quibus dicunt demonstranda esse principia) modò pro iis, quæ facilius cognosci *possunt* ex illis notioribus, ut sunt principia respectu conclusionum remotarum.

§. 11. Porro, etsi nullum sit dubium, & superius dicta satis demonstraverint, ex individuis in sensus incurrentibus principia esse formanda, ex his verò iterum deducendas esse

con-

conclusiones, incongrua tamen est locutio, *incipiendum esse in disciplinis à notioribus naturâ*, si eadem sint & notiora nobis, quod si non sint, *incipiendum esse à notioribus nobis*. An non autem convenientius multò fuisset statuere, *semper à notioribus nobis esse incipiendum?* id est, si-ve eadem sint simul naturâ notiora, si-ve non sint.

§. 12. Quod autem *limitationes duas* attinet, *prima* quidem videtur esse falsa, & regulariter à toto tanquam quod in sensus prius incurrit, & facilius adeò cognitum potest reddi, erit incipiendum, non à partibus, *secundâ* verò de duabus conspeciebus non habemus opus, quoniam pertinet ad regulas speciales de methodo, ubi jam diximus, methodum debere esse arbitrariam.

§. 13. Pergo ad *divisionem methodi*, ubi non me immiscebo liti eorum, qui *triplicem* volunt esse methodi speciem, *Analyticam*, *Syntheticam* & *Historicam*, seu *Definitivam*, cujus defensor potissimus Galenus memoratur. Communis sententia Aristotelem secuta *duas* retinet, rejectâ *definitivâ*. *Syntheticam* verò vocat, quæ progreditur à principiis ad principata, à simplicibus ad composita, à partibus ad totum, eamque adscribit *Philosophiæ Theoreticæ*, & in ea potissimum *Physicæ*: *Analyticam* contrâ dicit, quæ à fine tanquam magis cognitio progreditur ad media, & hanc assignat *Philosophiæ Practicæ*,  
non

non solum *Politica*, sed & *Ethica*, utpote quæ primò agat de Summo Bono tanquam fine hominis, postea de virtutibus ut mediis.

§. 14. Sed & hîc ut aliàs sæpius à mente Ducis sui aberrarunt ARISTOTELICI, quippe ut jam alii observârunt ex mente Philosophi *Analysis* nihil est aliud quàm regressus à fine, i. e. à posterioribus naturâ & conclusionibus ad principia; *Synthesis* verò compositio à principiis ad conclusiones, seu finem.

§. 15. Ergo quoniam modò concessimus, in disciplinis ab Individuis in sensus incurrentibus ascendendum esse ad principia (quod est *Analyseos*) ab his verò formandas esse conclusiones (quod est *Syntheseos*) necesse est in omnibz disciplinis quâ *Theoreticis* quâ *Practicis* utramque methodum locum invenire posse. Nam v. g. in *Moralibus* prius principia sunt demonstranda per res evidentes, quod maximè patet ex controversiis hodiernis de fundamentali Propositione Juris Naturalis, & postea ex istis principiis deducendæ sunt regulæ speciales.

§. 16. Quare falsum est, in *Practicis* finem semper magis cognitum esse; nam quantæ fuerunt & adhuc sunt hodie Disputationes Philosophorum de Summo Bono. Falsum est in *Ethicis* virtutes tradi ut media Summi Boni, quia potius ejus sunt partes. Falsum denique, est, in *Physicis* semper procedi à partibus ad totum, cum prius consideretur ibi v. g. animal ut totum, tum par-

partes ejus. Imò aliquando à *sine incipit demonstratio*, uti v. g. in demonstratione oculi.

§. 17. CARTESIANI methodum *Analyticam* ita à *Synthetica* ferè fecernunt, quod Analytica pertineat ad *inventionem*, Synthetica ad *doctrinam*, idque declarare volunt simili ab ascensione & descensione montis; item ab ascensione & descensione in tabella Genealogica. Sed ne hæc differentia est exacta; quoniam plerumq; eâdem methodò alter doceri potest, qua usi fuimus in inventione; & similia æquè ad nostram sententiam commodè applicari poterunt.

§. 18. Restant *regulae speciales de Methodo*, ubi Peripatetici communiter inculcant quoad quæstiones demonstrabiles (1) præmittendam esse doctrinam *nominis* (2) agendum esse de quæstione *an sit?* (3) De quæstione *quid sit?* tanquam simplicioribus (4) quæstionem *quotuplex sit res?* ad quid sit referri posse. Ex compositis (5) agendum esse de quæstione *ὅτι*, denique (6) *ἄρα ἢ διότι*.

§. 19. Nos uti non repugnabimus, si quis hæc methodo utatur, ita eam pro regula agnoscere non possumus, quoniam diximus, in hęc methodum potius esse arbitariam. Ita v. g. doctrina *nominis* eleganter poterit immisceri quæstioni quid sit exemplo Grotii initio libri aurei de J. B. & P. Ita quæstio *an sit* in rebus Physicis non adeo videtur utilis, ut prolixè tra-

M

datur,

datur, in Moralibus autem & artificialibus videtur nobis magis esse conveniens, ut quæstioni *quid sit* postponatur: Ita quæstio *cur sit*, quoniam ad principia pertinet, vel ex ipforummet doctrina præmittenda videtur quæstioni quid sit & quod sit, &c.

§. 20. De methodo *secundum genera causarum* vulgò receptâ plura dicemus in parte speciali. Quare nihil obstat, quò minus ad istam progrediamur, modo prius quædam paucis de *μετάβασις ἐκ ἄλλο γένους* dixerimus, quoniam qui eandem committit non solum in doctrinam de *Demonstratione*, sed & in *leges bonæ methodi* peccat, coordinando ea, quæ nullam connectionem inter se habent.

§. 21. Est ergo *μετάβασις*, cum quis demonstraturus Propositionem aliquam, vel saltem probabiliter aliquid ostensurus transit in aliud disciplinæ vel scientiæ genus, quod tribus modis contingere ajunt PERIPATETICI: (1) si quis *Subiectum demonstrationis* ex aliâ disciplina desumat, ut si v.g. *Physicus* velit differere de *S.B. ¶ Cuius de sanitate corporis*: (2) Si quis de *Subiecto* disciplinæ velit probare *affectionem* ad alteram disciplinam pertinentem, e. g. si *Geometra* velit docere, *lineam esse albam, aut visibilem*, si *¶ Cuius* velit docere, *quinam partus sit vitalis* nec ne; (3) Si quis *Subiecti* ad se pertinentis affectionem propriam velit demonstrare *ex principis alterius discipline*, ut si *Politicus* probaturus

maris

maris & fœminæ officia esse debere communia in Republica ex *Physicis* provocet ad exempla *canum* & aliarum bestiarum, aut si *Physicus* probaturus, ferrum non descendere, vel ignem non comburere, adducat ex *Scriptura*, quod ferrum nataverit, aut quod tres pueri in furno *Babylonico* non fuerint combusti.

§. 22. Breviter & clarius: *μετάβασις* committitur vel ratione *Subjecti*, vel ratione *Predicati*, vel ratione *medii termini*. Priores dux species magis peccant in *leges justitiæ & ordinis*, quàm contra *leges veritatis*, tertia partim contra *has*, partim, & sæpius, contra *veritatem*.

§. 23. Nam si in Republica v. g. certæ disciplinarum classes certis personis sint demandatæ, & ita quidem, ut aliis prohibitum sit, involare in disciplinas aliis assignatas, peccat *Medicus*, si *Quæstionem Juridicam*, aut *Physicum*, si *quæstionem Moralem* tractet. At si prohibitio hæc facta non sit, *μετάβασις* ista *pro vitio haberi non debet*, unde v. g. *Conringius* non vituperatur, quod ipse *Medicus Jus publicum* illustraverit; quid enim prohibet in omnibus *Philosophiæ partibus*, & superioribus facultatibus esse versatum.

§. 24. Sed contra *ordinem* tamen peccatur, si quis v. g. simul *Physicus & Politicus* in *Politiis quæstiones physicas*, & in *illis quæstiones politicas* tractare velit, cum singulæ sint tractandæ in sua disciplina.

M 2

§. 25.



§. 25. Sed unde, inquires, cognoscam, *ad quam disciplinam quæstio aliqua pertineat?* Peripateticus te respicere jubebit partim ad *Subjectum*, partim ad *prædicatum*, quia ut vides, respectu utriusque *μετάβασις* statuit. Mihi verò & hîc compendium videtur fieri posse, & potius dicendum esse, *omnes quæstiones vel propositiones à prædicato denominari*, Subjectum verò hic non facere *κρίτηριον*. Ita etsi v. g. de S. B. primariò agat Ethicus, de sanitate corporis Medicus, haud dubiè tamen erit quæstio Grammatica, non Ethica, si quæras, *Summum Bonum cujus generis?* item quæstio Logica, non Medica, si quæras: *Sanitas corporis in quo prædicamento?*

§. 26. Ergò nullum facile erit *Subjectum* disciplinarum, quod non suò modò intuitu prædicati possit tractari *in aliis disciplinis quibusdam*. Dico quibusdam, sæpius enim contingit, quod alicui Subjecto in altera disciplina non possit reperiri ullum prædicatum conveniens. Ita v. g. de *partu* principaliter agit Medicus vel Physicus. Sed si quæras, an *partus sit legitimus nec ne?* hæc quæstio haud dubiè pertinet ad *Actum*. E contrario tamen non facile reperire poteris prædicatum ex Juris prudentia quod applices sanitati corporis, aut ex Physica, quod applices *Summo Bono*.

§. 27. Ex quo sequitur, quod, etiamsi suprà ex mente Peripateticorum ad exempla

¶

μεταβάσεως ex parte *Subjecti* retulerimus, si *Physicus* agat de *Summo Bono*, aut *Justus* de *sanitate corporis*, tamen accuratius dicatur, & hæc exempla pertinere ad μεταβάσιν ex parte prædicati, seu potius planè nullam dari μεταβάσιν ex parte *Subjecti*, quæ non simul sit talis ex parte prædicati, adeoque non tres esse μεταβάσεως species, sed duas saltem, unam quæstionis seu conclusionis, alteram principii seu *medii termini*.

§. 28. Nisi fortè pro defendenda μεταβάσει ex parte *Subjecti* dicere velis, peccare tamen in leges methodi, qui *Subjectum*, quod principaliter ad aliam disciplinam pertinet, velit fusius exponere in alterâ disciplina, ad quam pertinet prædicatum, sed potius præsupponere debere ejus explicationem, desumendam ex alia disciplina, ut v. g. si *Physicus* demonstrare velit *superficiem corporis esse albam* &c. & velit exponere, quid sit superficies, cujus tractatio pertineat ad *Mathesin*.

§. 29. Sed & hæc tamen observatio non erit universalis, sed tum demum procedet, si v. g. *Physicus*, ille etiam scripserit elementa *Mathematica*, vel alii jam saltem quid præstiterint, quod ementationem non desideret, aut si auditor jam noverit, quid sit superficies. Quod si hæc requisita, aut fortè etiam alia deficient, μεταβάσις hõc modò non committitur. Nam hoc est, quod suprà diximus, methodum debere esse arbitrariam.

§. 30. Ita, si quis principia *Philosophiæ Moralis* traditurus, de convenientia actionum humanarum cum lege quid solidi docere velit, necesse est, ut probè intelligat, quid sit homo & actio hominis (cùm nunquam prædicatum de Subjecto affirmare aut negare possit, qui Subjectum ignorat;) hominis verò tractatio ad *Physicam* pertinet. Unde si ipse *Physicas* institutiones scripserit, aut alii quid solidi de homine prodiderint, inconueniens foret, doctrinam de homine inferere *Philosophiæ Morali*: At quoniam *PERIPATETICI* & *CARTESIANI* hic à regiâ veritatis viâ aberrant, leges bonæ methodi omnino postulant, ut si *Physicum* systema non meditetur, demonstrationes conceptuum suorum de homine *Philosophiæ Morali* inferat.

§. 31. Quare nec pro *μετάβασι* habebis, quod in *prudentiâ hac ratiocinandi* suprâ peculiari capite de *mente humanâ* tractaverimus.

§. 32. Pergo ad *μετάβασι*, quæ intuitu *medicæ termini* committitur. At hic *anxi sunt PERIPATETICI*, ut hanc exactè circumscribant, quoniam videlicet dantur plura exempla, ubi medius terminus unius disciplinæ valet & in altera absque vitio: Ita v.g. *Medicus* ex principiis *Geometricis* demonstrat vulnera orbicularia difficilius curari, quàm quæ aliam habent figuram, quia scilicet in orbicularibus anguli nimis à se invicem sunt remoti. ita, ut coire non ita facile possit.

sint. Ita *Ætus* ex principiis *physicis* asserit, non esse filium legitimum, qui natus sit marito, ultra biennium absenti &c.

§. 33. Quare communiter sic procedunt: regulariter conclusio unius discipline non debet demonstrari per medium terminum alterius discipline, quia ARISTOTELES voluit, in demonstrationibus adhiberi debere principia domestica, nisi disciplinæ sint subalternatae. Ubi tamen nova discipline occasionis occasio se offert, *quænam pro subalternatis haberi debeant.*

§. 34. *Alii* enim inter illas subalternationem esse statuunt, quæ unum Subjectum considerant diversò modò, nempe una eorum, ut istud Subjectum tantùm sciatur, quemadmodum *Physicus* circa affectiones corporis humani est occupatus, altera, ut operationes secundum istum sciendi modum instituantur, quod in datò exemplò facit *Medicus.*

§. 35. *Alii* tales disciplinas asserunt, quarum una rem considerat sine omni materia sensibili, ut *Aritmetica* numerum abstractum, *Geometria* magnitudinem & corpus extra materiam certam, altera autem tractat de re prout est in materia sensibili, uti *Musica* considerat numerum sonorum, *Physica* corpus in materia, *Optica* magnitudinem in radiis visivis. *Alii* aliter.

§. 36. Addunt denique, non confundendas esse scientias subalternatas cum subordinatis. Illas dici ratione principiorum & Ob-

jecti, has verò ratione finis, si nempe finis unius scientiæ sit subordinatus ad finem alterius. Adeoque quasdam *subordinatas* quidem esse simul *subalternatas*, uti v. g. *Physica* intuitu *Medicinæ*, non verò omnes.

§. 37. Etenim *Theologia* subordinatas esse scientias omnes, sed minimè tamen pro *subalternatis* eas esse habendas, cum in *Theologia* & disciplinis, quæ à ratione dependent, non solum Objectum, sed maximè principia sint diversissima. Quare si quis in *Theologia* velit quæstionem per medium terminum *Philosophiæ* probare, aut vice versâ, haud dubie committit *μὲταβάσιν*.

§. 38. Jam equidem quod hoc ultimum attinet, rectè PERIPATETICI hanc *Theologiæ* cum *Philosophia* confusionem taxant, supra jam fusius, adversus fabricatores *Philosophiæ* cujusdam *Christianæ*, principia sua ex *Theologia* petentes, notatam ac ostensam. Et quamvis à dissentientibus JOHANNES NELDELIUS *Philosophus Lipsiensis* in partes trahi so-  
leat, ad oculum tamen demonstrari poterit, quam disertè Vir hic eruditissimus istam *turbationem disciplinarum totò cælò diversarum improba-  
verit*.

§. 39. Quod verò *μὲταβάσιν* disciplina-  
rum reliquarum ex lumine rationis continuâ  
serie deductarum concernit, nescio cui usui  
*novam μὲταβάσιν speciem formaverint*, aut se  
in

in vitandis ejus exceptionibus circa disciplinas *subalternatas* maceraverint, cum ea tamen nunquam peccet in leges ordinis & justitiæ, sed saltem aliquando in regulas *veritatis*; si enim verus est medius terminus unius disciplinæ etiam in alterâ, tum *μετάβασις* non est; si falsus, tum est *μετάβασις*. At *veritas* & *falsitas* Propositionum sine peculiari cognitione *μεταβάσεως* aliunde hauriri debet, & nempe ex connexionione ejusdem cum evidentia & primo principio theoretico.

§. 40. Sed PERIPATETICIS quidem hac observatione erat opus, ne corrueret præceptum ducis sui, domestica principia in demonstratione afferri jubentis.

§. 41. Ergone dicis, quod in una disciplina verum est, falsum poterit esse in alterâ? Sic dabuntur contradictoriæ veritates. Imò verò apparens saltem est contradictio, quia in *μεταβάσει* illâ limitatio, quæ in alterâ disciplina tacitè medio termino inest, omittitur in applicatione ad disciplinam diversam, aut si accuratius loqui vis, is, qui ejusmodi *μετάβασις* committit, à diversis argumentatur, quæ argumentatio semper est vitiosa.

## CAP. XI.

*De*

### Prudentia meditandi.

M 5

SUMMA-

## SUMMARIA.

**I**N parte speciali cur initium fiat à Prudentia meditandi. 1. 3. 5.

Homo immaturi iudicii non est idoneus auditor Ethices. 2. 4.

Initium Meditationis unde fieri debeat? Claubergii Sententia. 6. qui confundit prudentiam docendi cum Prudentia meditandi. 7. Debet initium fieri à dubio eclectico ad inveniendum primum principium, cuius necessitas rursus commendatur. 8. Tum in examine disciplinarum specialium qua demonstrationes non admittunt, admitti debent rationes, qua plerumque procedunt. 9.

At in scientiis I. res singulae clarè & distinctè sunt percipiendae. 10.

Distinctus conceptus for-

matur per rerum definitiones. Harum regulae praecipuae. 11. Ad definitionem formandam opus divisione huius regulae. 12.

Ad clarum conceptum opus attentione. Rejiciuntur regulae Claubergii de attentione comparandae. 13. & conservandae. 14. & aliud consilium proponitur. 15.

II. De rebus clarè vel distinctè perceptis formanda axiomata. Horum regulae. 16. Exponitur canon similis: Nihil iudicandum esse nisi de re clarè vel distinctè percepta. 17. Aliud est, nihil iudicare, aliud: iudicare nihil esse. 18. Quatenus & in quo gradu cognitio clara vel distincta, ad iudicium de re requi-

requirantur. 19. Pro-  
cedit hic canòn saltem  
in cognoscendâ rei ve-  
ritate, non in rebus a-  
gendis. 20.

III. Ex definitionibus &  
axiomatibus formandæ  
conclusiones. 21.

Rejiciuntur Claubergii præ-  
cepta de memoriâ & di-  
ligentiâ, tanquam ab  
hoc capite aliena. 22. 23.

Meditationum honestas  
Meditationes illicitæ.  
24. Regule practicæ de  
meditationibus ab ea-  
rum utilitate. 25.

Grammaticæ utilitas. Ex-  
cessus Criticorum, 26.

Logicæ vulgaris usus e-

xiguus 27. ut & Rhe-  
toricæ. Praxis Orato-  
ria quanam alteri præ-  
ferenda? 28. Historiæ  
utilitas & neglectus. 29.  
Pœsis delectat & or-  
nat. 30. Mathematicos usus  
infinitus, ejusque con-  
temptus nobis valdè da-  
mnosus. 31. Metaphy-  
sica est regina inter di-  
sciplinas otiosas. 32. Plu-  
tarchi judicium de Me-  
taphysicâ Aristotelis. 33.  
Physicæ jucunda & uti-  
lis. Vulgaris autem in-  
eptæ. 34. quod & de  
vulgari Philosophiâ  
Practicâ sentiendum.

§. I.

**A**bsolutâ parte generali Prudentiæ  
ratiocinandi, jam in specie de prudentia  
meditandi aliquid dicemus, à qua meritò faci-  
mus initium. Etsi enim homo à juventute pri-  
mò videatur ratiocinari mediante aliorum, in-  
formatione, adeoque secundum hunc or-  
dinem naturæ videatur initium partis specia-  
lis fieri debere à prudentia intelligendi alios,  
quoniam tamen suprà jam ostendimus, in-  
fan-



fantes & juvenes ob dispositionem naturæ corruptæ & defectum judicii necessariò multis præjudiciis obrui, idem judicii defectus causa est, quod tum quidem nequidem prudentiæ intelligendi omnimodo capax sit.

§. 2. Quare meliori jure videmur nos quidem asserere posse, *hominem immaturi judicii inidoneum esse auditorem prudentiæ ratiocinandi*, quàm illud flumen & lumen sapientiæ ARISTOTELES docuit, juvenem non esse idoneum auditorem Ethices.

§. 3. Quodsi verò homo adultus demum aptus est ad nobilissimam hanc doctrinam, & verò cum hoc infinita præjudicia in juventute contracta simul adoleverunt, res ipsa postulat, ut hîc ante omnia præjudicia illa eliminat, id quod fit *meditando*.

§. 4. Nam etsi puerum jubeas præceptoribus uti præjudicia non inculcantibus, unde sciet ipse ejusmodi præceptores à reliquis secernere, nisi omnia præjudicia ipse jam sequesterverit? Neque enim poterit inniti judicio communi aliorum hominum de præstantia præceptoris, nisi hîc ipsò, dum vult præjudicia evitare, pronò lapsu in *præjudicium auctoritatis* velit incurrere.

§. 5. Quid? quod, etiamsi fingamus, & quidem secundum jussum novorum quorundam Philosophorum, per impossibile, dari ejusmodi præceptores à præjudiciis vacuos,  
*sanè*

sanè tum natura rei requiret, ut, antequam auditor adultus ipsum intelligat, hic jam instructus sit *prudentiâ docendi*, & hanc prudentiam docendi necessario item præcedit *prudentiâ meditandi*, ut nempe ipse præceptor jam præjudicia juventutis per seriam meditationem hinc extirpaverit.

§. 6. Sed jam unde *initium meditandi* facere debet veritatis amator? CLAUBERGIUS ante omnia eum ad tria vult respicere (1) ut rationem habeat *ætatis* suæ, ita ut initio versetur circa lingvas & rudimenta Mathematica, tum crescente judiciô ad accuratiorum Philosophiam, & postea ad superiores facultates pergat (2) ut spectet *ingenium*, utrum velox sit an tardum, præceps an sedatum, acutum an hebes, ad quæ naturali impetu feratur, ad quæ aptum, ad quæ ineptum; (3) ut expendat *profectus* suos, paratus an imparatus ad imbibendam scientiam accedat, an sit planè rudis, an rectè institutus, an malè edoctus.

§. 7. Sed mihi quidem hæc nimis inconsideratè à CLAUBERGIO dicta esse videntur. Quoniam hæc requisita, & primum maximè, magis ad prudentiam *docendi* quid in discipulis explorari debeat, pertinent, quàm ad prudentiam *meditandi*. Puer enim ipse non iudicat, an à lingvis debeat incipere, an ab aliis rebus. Adultus verò, si planè rudis sit, non poterit sine duce à primis initiis inchoare, quoniam

niam doctrina primorum principiorum, utpote quæ per inductionem formantur, præsupponit jam multarum rerum cognitionem. Denique quomodo juvenis initio meditationis suæ cognoscere poterit, an rectè sit institutus an secus, si nondum per meditationem normam consecutus est, secundum quam rectam & pravam examinet.

§. 8. Quare potius initium meditationis omnis debet incipere à *dubio eclectico* ad inve- niendum *primum principium veritatis* directò, de quo quoniam supra pluribus diximus, id- que per evidentes rationes investigare inten- dimus, hîc nihil repetemus, nisi quod postu- lemus ab auditoribus, ut cum huc pervene- rint, iterum doctrinam illam nostram repe- tant. Et si vel ullum dubium, quod tollere nequeant, remanserint, antea ad meditatio- nem specialem non progrediantur, donec il- lud fuerit omninò sublatum, quia aliàs in de- ducendis conclusionibus nullam ferè verita- tis certitudinem obtinere poterunt.

§. 9. Deinde opus erit, ut in *examine di- sciplinarum specialium* doctrinas præceptorum suorum (*autodidactis* enim consilia mea non suppedito, quoniam illorum præjudicia & er- rores difficillimè sunt curabiles) ad trutinam istam veritatis dirigat, simul tamen secundum ductum supra latius expositorum ante omnia consideret, utrum objectum disciplinæ, quam per-

percurrit, admittat *demonstrationem* nec ne, & in his quidem *posterioris* generis disciplinis pensitet, illas rationes probabiliores esse, quæ in *plerisq; Individuis* procedunt.

§. 10. In *prioribus* autem *primò* operam det, ut res omnes & singulas *clarè* vel *distinctè* percipiat, quò ipsò occurreret *obscuritati* & *confusioni*.

§. 11. Formatur autem distinctus conceptus per rerum *definitiones*. De his præter axiomata vulgata de inquirendo genere & differentia notandæ sunt *duæ regulæ* à PERIPATETICIS communiter neglectæ: (1) in definitionibus terminos usurpandos esse vel perfectè notos vel prius explicatos (2) Explicationem terminorum in Definitionibus sic instituentam esse, ut nihil in iis obscurum vel æquivocum relinquatur, quod non definiatur.

§. 12. Cùm verò ad *differentias* rerum investigandas opus sit *divisione* generis, inde & de hac ultra doctrinas communes observandum, dividendum esse quodlibet *genus*, quantum fieri potest, in *omnes species*. Similiter etiam idem in cognitione distincta *totius* notandum esse, ut totum dividatur in *omnes partes*, ac denique ut unaquæque *difficultas* dividatur in *omnes casus*.

§. 13 Ad perceptionem *claram* opus esse *attentione*, ut mens liberetur ab incuriâ vel inconsiderantiâ, rectè quidem asserit CLAUBERGIUS; sed quod *regulas* quasdam ad attentionem pro-

promovendam suppeditet, (ut nempe non nisi unum unô tempore consideremus, ut admirabile & delectabile quid nobis proponamus, ut res obvias & familiares nobis proponamus tanquam nunquam antea visas & primum nobis occurrentes, ut Ens omnium sensuum organis usurpemus, ut res sensum fugientes sæpius recolamus, à rebus corporeis mentem avocare studentes, ut cogitationes de illis nostras calamô consignemus, ut tempus feligamus, in quo mens varietate rerum nimium distracta est, quale matutinum, ut demum locô solitariô & â turba remotô meditemur,) partim *obscuriores* sunt partim *falsæ*, partim magis ad *attentionem conservandam* quàm acquirendam spectant.

§. 14. Nam, quod idem addit, ad mentis *attentionem fovendam ac conservandam* conducere, ut mens consideret, utrum thema simplex sit, an compositum, quod cognoscere cupiat, nescio quomodo id CLAUBERGIO in mentem venerit, cum inter hoc medium & attentionis conservationem nulla sit connexio.

§. 15. Quin potius, si homo in se attentionem ad meditandum non deprehendat, & verò quilibet homo sit animal ad *delectationem* & *honoris* cupiditatem inclinians, non melius videtur eam excitare & conservare posse, quàm si speculetur veritatis meditationem fontem esse omnium *honorum* & honestarum  
*delecta-*

*delectationum*, ac sine ea neminem posse *utilitatem* durabilem ac veram delectationem consequi, adeoque his speculationibus inflammatur quisq; ad difficultates omnes superandas. Quod si enim hæc ratio hominem non pervasura est, nihil facient regulæ Claubergii.

• §. 16. Rebus distinctè vel clarè perceptis incipit homo meditans *secundò* de earum *convenientia & repugnantia* iudicium formare, idque per *axiomata* ex Definitionibus rerum formata, quibus adeò occurrit dubitationi & errori. De his autem iterum duæ sunt regulæ. (1) Nullum axioma esse ponendum, quod non sit evidentissimum. (2) Id pro evidenti acceptandum esse, quod mediocri attentione cognoscitur esse verum.

§. 17. Dico: rebus distinctè perceptis, quia axiomata sunt quasi conclusiones ex Definitionibus rerum, unde patet veritas illius canonis negativi: *Uti nihil iudicemus in cognoscenda rei veritate occupati nisi de re clarè vel distinctè perceptâ*, hoc est, nisi cognoverimus separatim *Subiectum & prædicatum* Propositionis, & tum connexionem prædicati cum Subiecto evidenter demonstrare possimus.

§. 18. Quod tamen cave ne sic intelligas, ut *negemus* veritates nondum clarè & distinctè perceptas. Aliud enim est *nihil iudicare* de re non distinctè & clarè percepta, aliud est, *iudicare nihil esse*, ubi nihil percipis. Illud est

N

est

est rationi consentanea iudicii suspensio, hoc est præcipitis iudicii conjectura incerta.

§. 19. Porro cum dico, rem esse clare vel distinctè percipiendam, cave, ne putes, me requirere semper *cognitionem rei plenariam*, quippe non cohibendus erit assensus de re vel *clare tantum* perceptâ, etsi non distinctè vel *ex parte distinctè* percepta, quoad illam partem, etsi partem alteram, aut aliud quippiam rei adjunctum vel connexum nondum ita clarè perceperim, aut etiam planè non possim percipere; Ita non dubitandum erit, *ad magnetem moveri ferrum*, quoniam sensus evidentia clarè mihi hunc aetum persuadet etsi causam hujus rei nondum sciam; ita non dubitandum, *mentem cogitare*, postquam cogitationem distinctè definire possum, etsi nesciam distinctissimè quid sit id, quod in me cogitet; ita non dubitandum est, *esse Deum & curam gerere rerum humanarum*, etsi pleraque ejus attributa non percipere possim clarè & distinctè.

§. 20. Denique non sine causa regulam illam limitavi, ut procedat saltem, quoties in *cognoscenda rei veritate* sumus occupati, nam in iis, quæ *ad reliquam vitam* pertinent, *necessitas*, aut *commoditas* rerum agendarum faciendarumq; accurati examinis moram non semper concedit, sed hic sæpius ea etiam amplecti, aut fugere, probare, aut improbare tenemur, quæ  
NON

non adeo clare & distinctè percipimus. Ita sæpius pauperibus dandæ sunt eleemosynæ, etiamsi non simus certi, utrum revera eleemosynas nostras mereantur: Ita iter sine comite facientes, sicubi regia via in semitas plures divaricata excurret, unam ex illis tenendam decernimus, quantumvis, an satis rectè ad metam propositam nos deductura sit, incerti simus ac dubii &c.

§. 21. Post formata axiomata *tertiò* homo meditans conferendo Definitionem cum Definitione, axioma cum axioma, aut Definitionem cum axioma, *conclusiones* inde format, in quibus non solum semper regulam superius propositam de clarâ & distinctâ perceptione, sed & doctrinam partis generalis *de methodo* ut nempe *à facilioribus semper progrediatur ad difficiliora*, observare debet.

§. 22. Inculcat equidem CLAUBERGIUS insuper in doctrina de prudentia meditandi præcepta, ut meditationes nostras *memoria imprimamus*, & ibidem *retineamus*, sed quoniam memoria magis ad cogitationem sensationis quàm ad ratiocinationem, quam nos tractamus, pertinet, istud quidem nobis inconvenienter factum videtur. Unde & communiter *memoria & iudicium* tanquam diversissima discerni solent.

§. 23. *Quin* &, etiamsi non diffiteamur,

N 2

*diligen-*



*diligentiam* esse commune perceptionis, iudicii & memoriæ adminiculum, cujus requisita & adminicula ibidem exponit CLAUBERGIUS, quoniam tamen per eam directò prudentia ratiocinandi non acquiritur, malum & hæc præsupponere, quàm eadem disciplinæ nostræ immiscendo nimis extra oleas vagari.

§. 24. Potius subjungemus quædam de *meditationum honestate & utilitate*. Equidem cùm meditatio sit *actio interior*, constat, *leges humanas*, quæ actionibus hominis exterioribus normam præscribunt, hic nihil proponere, contra quod meditationibus nostris impingere valeamus. Ad *Leges Divinæ* etiam ad interiora se extendentes prohibent, ne inquiremus meditando *res supra nostrum captum*, & potissimum, quæ non nisi ope *Magiæ diabolica* percipiuntur, Item *Lex naturalis* cordibus hominum inscripta, & quæ tota in utilitate generis humani se fundat, vetat, ite talia inventa meditando prosequamur, *quorum usus humano generi plus damni quàm utilitas afferunt*, ut sunt inventio *artis tormentoria*, & novarum specierum tormentorum longissimè effectus suos funestos exequi valentium, inventio *subtilia venena* præparandi, inventio artis reliqua *metalla in aurum* transformandi.

§. 25. Cùm igitur utilitas communis humani generis eadem etiam sit honestatis norma, iterum constat, *quo magis ista utilitas per artes*

*artes & disciplinas promovetur, eò magis ipsis esse dandam operam, quò magis autem homo ab hac utilitate promovenda per artes aliquas abducitur, eò minus istas esse ab hominibus frequentandas. Rem, percurrento Philosophiæ saltem partes, quoniam videlicet Philosophiam primam tractamus, exemplis declarabimus.*

§. 26. *Grammatica*, quatenus cognitionem linguarum tradit, quoniam sine sermone sensa aliorum non possumus intelligere, & verò nostrâ sæpius interest, aliorum mentem cognoscere, *magnam habet utilitatem.* Quatenus verò humani generis, aut nostrâ parum interest, *ineptum est*, se in vocibus captandis multum torquere velle, quod tamen gloriæ sibi ducit quoddam hominum genus CRITICORUM nomen falsò affectans.

§. 27. *Logica*, prout in Scholis traditur, *usus* aliquis est, sed *exiguus*, ut hæctenus ostendimus passim.

§. 28. *Rhetorica* & ipsa non multum habet utilitatis, uti tradi solet, cum inculcet ferè solam theoriam Oratoriæ, & praxis negligatur. In ipsâ verò *praxi Oratoriæ*, Oratoria Germanica præferenda quoad utilitatem Latinæ, in Latinâ eà, quæ stylô concisô & ad *Epistolicum* inclinante gaudet, hodie utilior est Oratoriâ Academicâ.

§. 29. *Historia*, uti *utilissima* est ad vitam civilem, ita nec profundas meditationes, sed

plus tamen diligentia requirit. Dolendum vero est, quod Historiae studium solidioris nempe, & quae multa haecenus ignota ex antiquitate eruit, *Ecclesiastica* potissimum & *Philosophicae*, non melius excolatur.

§. 30. *Poesis* magis ad *delectationem* & *ornamentum* facit quam ad utilitatem, quare & hic maxime cavendus excessus.

§. 31. *Mathematicarum* disciplinarum *usus infinitus* est in vita quotidiana & statu quae publico quae privato, quae pacifico quae militari. Et multum insuper *ornant* atque *delectant*. Quare eo magis admirandum, quod ferè communi consensu à Germanis haec summè necessaria studia tam vitio docentium quam discipulorum negligantur. Sed hoc, rebus ita se habentibus, non mirandum, quod exteri nos vincant artibus militaribus & artificijs & quod nostri artifices sint excellenter imperiti.

§. 32. *Metaphysica* est regina, sed inter illas disciplinas, quae circa *falsa* & *erronea* sunt occupatae, quae satagunt circa commenta astutorum & otiosorum hominum distingendis ingenijs, ne ad solidam rerum cognitionem adspirent, quae adhuc à multis mordicus retinentur, incitià meliorum, aut quia dediscere pudet, quae jam otiosè didicerunt.

§. 33. Jam suo tempore PLUTARCHUS de *Met. physica* ARISTOTELIS: *Revera commentarius ille Metaphysicus ad docendum vel discendum nihil habet*

*habet compendii.* Quid putas, eum dicturum fuisse de *Metaphysica* SCHOLASTICORUM, ad quam *Metaphysica* Aristotelis comparata se habet instat gemmæ ad vitrum vilis pretii?

§. 34. *PHYSICA* & *jucunda* & *utilis* doctrina est, omne tamen tempus pro perdito judicandum, quod in *Physicam* PERIPATETICORUM impenditur, ita inepta & stulta ibi sunt omnia.

§. 35. Parum mitius de eorum *Philosophia Practica* sentio, cujus tamen vera scientia homini maximè necessaria est. Quoniam enim ne *zeu* quidem prudentiæ *Moralis* aut *Politicae*, aut *Oeconomicæ* inculcat, si non imprudentiæ nomen meretur, certè tamen *habitus est prudentiæ vacuus.* Unde postea necesse est, ut extra *Philosophiam* hanc nobis comparemus.

## CAP. XII.

De

# Prudentia cogitata proponendi.

### SUMMARIUM.

**C**ommunicatio cogitationum sit variis modis. 1. De informatione juventutis hic dicere supersede-

mus. 2. *Adulti* vel *manuduci* debent, vel sunt *eruditi*. 3. *Cum illis viva voce agendum.* Sunt verò

N 4

vel

vel selecti & pauciores, quorum captus & præjudicia inquiri & doctrina de methodo ne observari debet. 4. Auditorum memoria non debet gravari. 9. Exercendi in Definitionibus & axiomatibus. 6. In eorum errores inquirendum, iidemque ipsis evidenter ostendendi. 7. Permittenda auditoribus interrogationes & objectiones. 8. Methodus informandi per discursum continuum inepta. 9. Ignorantia Doctorum causa est, cur methodus altera negligatur. 10.

Vel major & promiscua turba. Hic requirunt discursura continuum. 11. (1) Methodi, cum ut præmittatur discursus de Definitione & utilitate discipline. 12. De autore, qui exponitur. 13. tum ut diligenter

explicentur termini technici. 14. & controversiæ Syllogisticè proponantur. 15. ac auditores de Controversiarum utilitate moneantur. 16. (2) Perspicuum etiamsi non ad eò elegantem & aliquatenus tautologicum 17.

Cum eruditis agitur in scriptis. Hic cavendi Syllogismi & Responiones Syllogisticae. 18. Opera danda elegantia verborum perspicuitati, & insinuandi methodo. 19. Cavenda regulae methodi & elegantiae Scholasticae. 20. Ineptiae communes in tractando themate simplici quoad Definitionem nominalem. 21. quoad frequentes Prophetizationes. 22. quoad doctrinam causarum in rebus naturalibus. 23. In moralibus doctrina per causas obscurata à Schola-

*Scholasticis, sed hodiè restituta. 24. 25. In Jurisprudencia eadem obscuratio originem debet Ramistis. 26. Thema compositum. 27. Tractatio questionum specialium. 28. Methodus hic arbitraria ejusque variatio. 29. Methodus aptissima ad refutandam sententiam communem, sed erroneam. 30.*

*Honestas doctrinarum. Princeps earum in Republica arbiter. 31. Potest interdicare disciplinas vel eas certis per-*

*sonis assignare. 32. Non possunt id Mastri veteres. 33. Parendum Principi ut doceamus Autorem, quem non arbitramur veritatem esse assecutum. 34. Doctor in informatione primario respicere debet utilitatem auditoris. 35. considerando ejus statum & scopum. 36. Et gratificando in expositione autoris minus apti. 37. Quod si id commode fieri non possit, primario respicere potest propriam. 38.*


§. 1.

**P**ost meditationem sequitur communicatio cogitationum suarum aliis facienda, quippe homo, ut aliis iterum profit, à DEO est conditus. Hæc communicatio respectu objecti vel fit juvenibus aut pueris, vel adultis, respectu modi proponendi vel vivâ voce, vel in scriptis.

§. 2. De informatione puerorum & juvenum in Scholis qua trivialibus, qua Academicis si vellemus ex professo agere, peculiari volumine

N 5

ad



ad id foret opus, ita communi quodam consensu quasi in Germania, quod informationem juventutis concernit, ineptim9. Sed quoniam hic quidem consilium à nobis haud desideratur, & pars hæc specialis prudentiæ rationandi potissimum in adulatorum gratiam directæ est, *de his tantum quædam dicemus.*

§. 3. *Adulti illi vel opus habent manuductione nostrâ, vel jam eruditorum nomen merentur. Cum illis magis vivâ voce est agendum, scripta potius ad eruditos pertinent.*

§. 4. *Auditores, qui vivâ voce sunt informandi, vel sunt selecti & pauciores, vel promiscua turba hominum ingenio variantium. Quod priores attinet, uti Doctor ante omnia ipsorum captum nosse debet & profectus, ita præprimis operam dabit sedulo, ut expiscetur, quodnam ex præjudiciis auditoris animum præ aliis invaserit, aut in eo altas radices egerit, idque frequentissimè oppugnabit; tum præcepta generalia de methodo supra peculiari capite de ordine & capite præcedenti exposita observabit. Non enim debent alia præcepta communia in informatione aliorum observari, quam quæ observanda sunt in meditatione, cum unus homo habeat eandem essentiam quam alter.*

§. 5. *Id tamen cavebit docens, ne auditoris memoriam gravet inculcando ipsi, ut doctrinam, quam traditurus est, ediscat ex autore, qui explicatur, quamvis hæc via docendi sit criticissima. Quantum enim memoriæ accedit, tan-*

tantum decedit iudicio. At plus semper æstimarunt genuinè eruditi scilicet iudicii, quàm libram memoriæ.

§. 6. Potius id studebit, ut in rerum *Definitionibus & axiomatibus* disciplinæ nullus terminus remaneat, cujus conceptus ab auditore non possit perspicuis verbis iterum efferri, utque *rationes axiomatis* reddere norit. •

§. 7. Quod si auditor genuinam responsionem aut rationem non reddat, inquirat Doctor in rationem responsionis, ut *fontem erroris cognoscat*, tum vel adstringet auditorem, ut ex responsione suâ ac ejus datâ ratione Syllogismum formet, si videlicet connexio inter rationem & responsionem datam deficiat, vel si ratio falsitate laboret, curabit, ut ab auditore ipsô per quæstiones ipsi propositas instantias eliciat, quibus infringere possit universalitatem rationis ab ipso propositæ, aut per evidentiam sensuum falsitatem rationis datæ demonstrabit.

§. 8. Quid? quod, ut eò melius præjudicia & ineptæ rationes, quas veras sibi persuasit auditor, detegantur, permittet Doctor discipulo, ut *dubia sua* quotiescunque velit, ipsi *proponat*, aut de dubiis & non rectè perceptis ipsum *interroget*.

§. 9. Atque ad hanc quidem docendi rationem aptissimam esse methodum per *quæstiones per breves*, aut *continuum examen*, ineptissimam



nam verò eam, etsi communissimè usitatam, per *discursum continuum*, res ipsa loquitur. Nam cum Doctor non sit καρδιωγνώστης, sæpius, si saltem de rebus, quas docere vult, continuo differat, detinebit se in explicatione rei, quam jam cognoscit auditor, aut rem, quam ignorabat idem, tanquam cognitam, satis exponere omittet. Ut taceam, magis attentum reddi auditorem per quæstiones quam per discursum. Attentio autem auditoris vel maximè informationem promovebit.

§. 10. Hæc docendi methodo videntur olim SOCRATES & PLATO usi fuisse. Sed quod hodie negligatur, causa illa est, quia Præceptores & Doctores frequenter *inepta docent*, & quæ ipsi credunt magis quàm sciunt, unde evitant prostitutionem propriam certissimè secuturam, si auditoribus permetterent dubia sua proponere, & de rebus obscuris ipsos interrogare. Cui accedit, quod prudentia ratiocinandi & fundamentis veritatis communibus destituti plerique, propè dixerim omnes, antea ad prudentiam docendi accedant, quàm perfecerint prudentiam meditandi, & hanc postea plâne negligent.

§. 11. Quod si verò auditorum *major & promiscua turba* sit, quoniam hęc casu mixti sunt tyrones iis, qui majores profectus fecerunt, & quoniam examen hęc locò non commodè poterit adhiberi, sed res per *discursum continuum*

*tinuum* est peragenda, studebit minimum Doctor, quò & *methodicè* & *perspicuè* disciplinam propositam in discursu exponat.

§. 12. *Methodum* quod concernit, videtur necessarium esse, ut, quia plerumque in ejusmodi collegiis, disciplinæ quædam speciales docentur, Doctores præmittant *introductionem* quandam de *Definitione* ac *utilitate* ejusdem, atque cum aliis disciplinis *connexione*, ut ante omnia auditores sciant, & primò intuitu quasi cognoscant, *quid* expectare debeant, & *cui usui*?

§. 13. Deinde, cum regulariter *certus quidam scriptor* juventuti explicari soleat, non solùm attentionem auditorum excitabit, verùm & in ipsa expositione multum proderit, si *de ipsò autore*, ejus tractandi modò, adeoq; de ejus virtutibus, nãvis, adversariis præmittatur *expositio* historica.

§. 14. In ipsa autem *disciplinâ* observare debent Doctores eam *methodum*, ut, quantum possibile est, *omnes terminos technicos*, qui non sunt notissimi, quàm primùm occurrunt, breviter statim explicent, etsi in sequentibus fortè ex professo, quod ajunt, autor de iis tractet, quoniam aliàs non possunt auditores *nerum* *ratiocinationis* intelligere.

§. 15. In *controversiis*, quæ occurrunt, attemperabit Doctor se captui incipientium, adeoque non pigebit eum, confirmationem thesios, objectiones & responsiones sæpius  
*syll-*

*Syllogisticè* & secundum methodum disputandi proponere, præprimis autem inquirere, annon *aliæ rationes* quàm quas autor dedit, dari possint, *aliæque objectiones* formari, ut ita nullus ferè scrupulus remaneat in mente auditoris.

§. 16. At enim verò, cum utilitatis gratiâ ratiocinemur, obstrictus est Doctor, ut auditoribus suis ob solutâ controversiæ expositione inculcet, an controversiâ ad *inanes* & *vanas* pertineat, an ad aliquam, & ad quem *utilitatis gradum* pertingat. Vel etiam pro circumstantiarum varietate hanc doctrinam explicationi controversiæ præmittet Doctor, & pro magnitudine utilitatis vel parvitate se diutius vel minus in ejus expositione detinebit.

§. 17. *Perस्पicuitatem* verò quod attinet, cum in discursu conveniat; ut Doctor magis rebus quàm verbis sit intentus, cavebit, ut ne nimis *elegantia verborum* studeat, cum hac parte facillimè obscuritas quædam oriri possit. Quare si deprehendat, se mentem suam magis perspicuè *in linguâ vernaculâ* explicare posse, & hanc adhibebit. Neque timebit adeò *tautologias* aliquas committere, modò ne nauseam cum iis moveat, & per illas rem explicandam mentibus auditorum eò fortius imprimat.

§. 18. Restant *scripta eruditæ infervientia*. Hic verò ante omnia exulare debent *Syllogismi* radiosi, & responsiones per: *distinguo*, *applico*, *limite*, cum verè eruditi abhorreant hos *fuscus pedanteriæ*,

§. 19.

§. 19. Tum opera danda, ut verbis *perspicuis* quidem, sed non in elegantibus tamen, & *methodo* seipsam Lectoribus insinuante, hoc est, arbitrariâ & à facilioribus semper progrediente ad difficiliora scriptor utatur.

§. 20. Cæterum notum est, quod thema de quo quis scripturus est, sit vel *simplex* vel *compositum*. Utrobique operam dabit scriptor, ne sibi imponi patiatur à *regulis methodi & elegantis Scholasticis*.

§. 21. Quare in themate *simplici* cavebit, ne more athletarum, inutilia præmittat de *utilitate Definitionis nominalis*, & infinita loca ex ARISTOTELE, SCALIGERO &c. hanc in rem ex locis suis communibus conquirat. Hæ enim sunt meræ ineptiæ. Potius exemplo sibi proponet HUGONEM GROTIUM, qui *initio aurei operis de Jure belli* uni paragrapho inclusit succinctè & sine buccinatione Definitionem, Homonymiam, Etymologiam ac Synonymiam belli.

§. 22. Nihil enim magis nauseam movet, quàm si Scriptores in singulis paragraphis de rebus præsentibus *praphetizent*, & Lectorem non aliter considerent, ac si esset dupondius, ejusmodi formulas adhibendo: *Diximus de Etymologia, nunc pergendum ad Synonymiam; Definitio nostra resolvitur in genus & differentiam specificam. Quod genus attinet &c. Hactenus occupati fuimus in causa efficiente, jam finem rei considerabimus; Regule bonæ methodi præcipiunt, ut, postquam*

*quam doctrinam causarum absolvimus, jam etiam quaedam dicamus de ejus affinis, contrariis &c.*

§. 23. In specie, quod methodum de doctrina *causarum* attinet, etsi illa quandoque non sit planè negligenda, potissimum in rebus *naturalibus & artificialibus*, nihil ineptius tamen est, quàm quod communiter afferri solent *veritates*, de quibus nemo unquam dubitavit, v. g. *Pavonis causa efficiens remota est DEUS optimus maximus; pediculi finis ultimus est gloria DEI &c.*

§. 24. Sed hoc dolendum tamen, quod illa methodus de doctrina *causarum* nimio studiò ad res *Morales & Juridicas* fuerit applicata, cum tamen antiqui Philosophi in *Metaphysicâ* suâ magis per illos terminos respexerint ad *Entia naturalia*.

§. 25. In *Moralibus* hanc confusionem introduxerunt SCHOLASTICI. Sed DEO sint grates, istud Augiæ stabulum jam ferè purgatum est plusquam Herculeò labore Virorum quorundam excellentium, quos inter eminent GROTIVS & PUFENDORFFIVS.

§. 26. Eadem confusio *Metaphysicâ* cum *Jurisprudentiâ Romanâ* videtur originem debere RAMISTIS superioris seculi potissimum WESENBECCIO, post quem etiam Non-Ramistis hæc *causarum* methodus egregiè placuit, ita ut hodie communi *Academiarum* errore pro *Jcto* non habeatur, qui thema aliquod per illa quatuor genera *causarum* summo cum ejusdem crucia-

cruciatu non fustiget. Neque sperandum facile est, ut hâc parte sanetur Jurisprudentiâ Romana, postquam illi, qui optima quæq; in *Wesensbecio* ut errores perstringunt, in his ineptiis *Wesensbecium* superare omni studiô laborant.

§. 27. *Thema compositum* est vel *specialis questio*, vel integra aliqua *discipline*. De *disciplinis* quod peculiariter hic moneamus, non est opus, cum potius hic repetenda sint ea, quæ superius de ordine & methodo in disciplinis observanda fusius disseruimus.

§. 28. At *questiones speciales* ita sunt plenè tractandæ, ut expositis, quantum opus est, terminis, connexio prædicati cum Subjecto evidenter doceatur, & dubia aliorum debitô modo solvantur.

§. 29. Quoad *methodum* adeò *perinde erit*, utrum terminorum expositio præmittatur resolutioni quæstionis, utrum ea immisceatur ipsi decisioni; item utrum decisio partis adversæ, à qua dissentire cupim, præmittatur, utrum postponatur sententiæ nostræ, vel utrum responsio ad objectiones statim addatur argumentis dissentientium, utrum verò reservetur, donec opinionem nostram deduxerimus; denique utrum hypothesis aliqua remotior, ex qua veritas sententiæ nostræ dependet, confirmetur in præmissâ expositione generali terminorum, utrum hæc confirmatio fiat in decisione quæstionis.

O

§. 30.

§. 30. Id tamen non erit diffitendum, si quis doctrinam aliquam *communiter receptam, erroneam* tamen, velit aggredi, *aptissimam videri methodum*, si prius sententiam illam communem, quasi ipse ab ea dependeat, proponat, tum objectiones contra illam proponendo omnibus modis tentet eas solvere, sed ita tamen, ut lectoribus simul imbecillitatem communium responsionum ostendat, denique si ultimò, postquam demonstraverit, nullibi asylum esse, in quo communis illa sententia subsistere possit, simulet, se invitum quasi pugnam relinquere, & victas manus sententiæ adversæ multis evidentibus rationibus tum corroborandæ) dare cogi.

§. 31. Quoniam verò *doctrina* pertinet ad actiones *externas*, non solum hinc eadem erunt repetenda, quæ capite præcedenti de *bonestate* meditationis diximus, sed insuper nullum est dubium, quin *Princeps* tanquam *arbiter doctrinarum in Republ.* leges possit ponere, disciplinarum propositionem concernentes, neque solum interdicens certas doctrinas, sed & alias quasdam præ reliquis inculcantes, & autores præscribentes, secundum quorum ductum disciplina aliqua tradi debeat.

§. 32. Quare, uti de *Theologia & legibus Divinis* hinc non tractamus, ita quoad *reliquas disciplinas* constanter affirmamus, quod peccet, qui disciplinam aliquam profiteatur à Principe

cipe *interdictam*, etiamsi ipse docens eam arbitretur Reipubl. esse utilissimam, item quod peccet, qui docere vult disciplinam, cujus doctrina pertinet *ad alios* per legem publicam.

§. 33. Cæterum, si Princeps aliquid, quod legibus divinis adversum non est, haud prohibuerit, vel si doctrina illa per leges certo hominum generi non sit assignata, non erit peccatum (cæteris paribus) eandem aliis inculcare, etiamsi illam doctrinam ut *novam & ineptam* perstringant VETERES MAGISTRI, etiamsi illam *jam invaserint alii* quidam, sed absque jure tamen acquisito, alios ab ea prohibendi.

§. 34. Quin imò peccabit quis, si alios autores explicet quàm quos Princeps velit. Unde si Princeps velit, ARISTOTELIS *Physicam* doceri, docebit privatus, non tamen ut suam, & de cujus veritate ipse sit persuasus, sed ut *Physicam* Aristotelis,

§. 35. Uti autem licet post honestatis regulas circumspicere etiam de *militate privata*, ita & *docenti* id permissum erit. Sed hic tamen plerumque *primario* respicere debet magis ad utilitatem *Auditoris*, quàm ad utilitatem propriam, quoniam docentes communiter ferè considerantur ut consiliarii studiorum ritè instituendorum. At consiliarius in consiliis suppeditandis non suam personam, sed ejus, cui consilium suppeditat, attendere debet.



§. 36. Igitur præter *statum* informandi, præprimis expiscari debet *scopum*, quem sibi auditor proposuit, quo eò aptius doctrinas ad scopum obtinendum aptas, vel ad statum quadrantes possit seligere. Aliter enim informandus est *Princeps*, aliter *privatus*, aliter *masculus*, aliter *fœmina*, aliter *Nobilis*, aliter *plebejus*, quamvis hæc sententia primâ fronte videatur adversa esse principiis communibus & nostris suprâ positis. Porro aliter informandus est v.g. *Studiosus juris* ad ejus *professionem* adspirans, aliter ille, qui ad *praxin* tendit, aliter iste, qui ad *ministerium aulicum*. Item aliter doceri debet *Studiosus Theologiæ*, qui sibi proposuit aliquando armis *Metaphysicis* aggredi hæreticos & *Theologiam Polemicam* profiteri; aliter is, qui in *homiliis* excellere & affectus plebis flosculis oratoriis excitare vult; aliter denique, qui fide piâ & simplici contentus *vitam doctrina convenientem* sibi comparare studet.

§. 37. Quod si verò auditor ipse non desideret Doctore consilium, sed petat autoris *alicujus ineptissimi explanationem*, quem ipse suppeditat, poterit Doctor commodissimè petitis gratificari, modò ea non sint adversus legem. Ita explicabit. v.g. *Metaphysicam Scholasticorum, Grobianum* &c.

§. 38. Si denique ne hoc contingat, sed collegium aliquod pro communi auditorum turba, quorum conditiones & scopi variant, haben-

habendum sit, hîc *ad suam magis* quàm singulorum auditorum utilitatem respicere potest Doctor, ut tamen nec hanc negligat. Unde non tam sollicitus erit de opinione & iudicio communi de collegiis suis, sed magis sequetur iudicium quorundam prudentium, etsi paucorum, etsi extra Academiâs, quod de utilitate doctrinarum sovent.

## CAP. XIII.

*De*

### Prudentia aliorum mentem intelligendi.

#### SUMMARIA.

**D**Octrina hac à Peripateticis malè omiſſa. 1. 2. quia videlicet Aristoteles eam misit. 3. Theologi & Scti derelictam occuparunt. 4. 5. Defectum istum supplere intenderunt Claubergius & Weisius. 6. Nos eam exposuimus alibi. 7. Vitia bonæ interpretationis duplicia. 8. (1) malitia seu calumnia. 9. Calumniatoris artes frequentissima. 10. 11. 12. 13. 14. Quomodo quis se adversus istud vitium debeat præmunire. 15. (2) Stultitia, ut studium nimium conciliandi. 16. & allegorizandi. 17.

§. 1.

**H**Anc partem omiserunt Logici vulgares, cum tamen omninò ad Logicam

cam pertineat, rationes & modos præscribendi, quomodo quis verum sensum orationis obscuræ, absentis aut mortui (nam præsentibus ipsi interrogari poterunt) investigare, & à falso discernere debeat. Nam & hoc fit ratiocinatione. At Logica modos ratiocinandi suppeditare debet.

§. 2. Præprimis cum sit *instrumentum instrumentorum*, doctrina verò de *interpretatione* usum suum diffundat in omnes partes Philosophiæ & Facultates superiores, maximè in *Jurisprudentiam* & *Theologiam*, quoniam ambæ hæc versantur circa interpretationem legum divinarum & humanarum.

§. 3. Quod si inquiras, cur PERIPATE-  
TICI adeò utilissimam hanc doctrinam omiserint, nullam aliam *rationem* reddere poterunt, quàm quòd summus ARISTOTELES in libro suo de *interpretatione* non aliud tractaverit, quam doctrinam de Enunciatione & Propositione, prout eam vides explicatam in libellis Logicis vulgaribus. Putarunt adeò, ingens crimen esse & morte piandum, si quis ex iis ultra Magistrum sapere velle cogitaret saltem.

§. 4. Simul vides qua ratione factum sit, ut THEOLOGI & JCTI hæcenus de interpretatione tractatus ediderint. Quoniam enim hi instrumentò istò maximè habuerunt opus, & verò apud Philosophos id non depre-  
hen-

henderunt necesse fuit, ut ipsi sibi de eo prospicerent.

§. 5. Ex *Theologis* DANNHAUERI *Idea boni interpretis* nota est. Ex *JCtis* dolendum, quod, qui doctrinam istam potissimum desiderant, Juris humani & Romani præprimis interpretes, eam planè neglexerint olim, & adhuc ferè negligent. Si enim GROTIUM, PUFENDORFFIUM, & post hos EICHELIUM, horumque affectas paucos excipias, quotus quisque est ex iis, qui splendidò JCtorum titulò fulgent, qui regulas bonæ interpretationis, calleat, vel, quid sit interpretatio exactè noverit?

§. 6. Agnoverunt tamen etiam ex *Logicis* modernis defectum hunc aliqui, unde WEISIUS, & plenius adhuc, atque distinctius CLAUBERGIUS in *Logicis* suis de interpretatione tractant.

§. 7. *Ego* verò mentem meam hòc capite non aperiā prolixius, quia id jam feci plenā manu in *Institutionibus Jurisprudentiæ Divinæ*.

§. 8. Dicam saltem nonnulla de *vitiis bonæ interpretationis*, quæ sunt duplicis generis, alia *malitiæ*, alia *stultitiæ*.

§. 9. Qui *malitiâ* peccat, *calumniator* dicitur, quem simul notavit in *Idea* interpretis sui DANNHAUERUS; nos pauca de illis, & quæ quotidie ferè occurrere solent, excerpemus ex CLAUBERGIO.

O 4.

§. 10.

§. 10. Calumniator *aliis affingit*, quod non sentiunt, ac deinde, quasi sentirent, eos *infectatur*.

§. 11. Calumniator auctori *sensum tribuit*, quem is suum esse negat, etiamsi evidentissimis signis suam intentionem *demonstrare non possit*.

§. 12. Calumniator ex thesi aliqua auctoris generali facit *conclusiones*, etiamsi autor illas conclusiones serio detestetur.

§. 13. Calumniator adversarii sui *silentium*, etsi hic ad ejus scripta non responderit, interpretatur, ac si adversarius in ipsius sententiam descenderit, unde *triumphum* decernit, ac imperitis persuadet, ac si adversarius respondere non potuerit.

§. 14. Calumniator propter *verborum discrepantiam sensus utilitatem* negat.

§. 15. Adversus hoc calumnie vitium si quis se præmunire velit, operam dabit, ut ante omnia *ad lectionem auctoris* accedat, animò præjudiciò, inimicitâ ac odiò vacuò, ac postea in dubio semper *benigniore interpretationem* eligat, ac postea sibi dictum putet, ad excusandum & defendendum autorem leviores rationes sufficere posse, ad damnandum & accusandum adesse debere gravissimas.

§. 16. Vitia *stultitia* varia esse possunt. Maximè notabile est *nimum studium conciliandi* eos, qui sibi contradixerunt, quod jam supra & in *Institutionibus Juris Divini* fusius notavi.

§. 17.

§. 17. Eò etiam referri potest *nimum studium allegorizandi*, quo laborârunt non pauci ex PATRIBUS, unde etiam profluxit *Theologia Mystica*, quod fusius deduxit PATER in *Schediasmate Historico*.

## CAP. XIV.

De

### Prudentia judicandi.

SUMMARIA.

**C**onnexio. 1. *Judicamus de variis.* 2. *potissimum de veritate.* 3. *Regula hic observanda.* 4. *Paucorum promptitudo in judicando.* 5. *Vitanda hic precipitantia.* 6. *quoniam sæpè veritas latet quam pro falsitate habebamus* 7. 8. *Ad facilius judicandum de methodo ab incipientibus scripta redigenda in tabulas.* 9. *quibus non opus in Disputationibus Academicorum.* 10. *sed in scriptoribus methodum dissimulantibus.* 11. *ad quos percipiendos industriâ opus.* 12. *Tabularum usus in exercendo ingenio.* 13. *Tabulis confectis quid in iis observandum.* 14. *In judicio de veritate præprimis inquirendum in autoris fundamenta.* 15. *ne conclusiones veræ videantur falsæ.* 16. *Exemplum.* 17. *aut falsa veræ.* 18. *ut communiter receptæ doctrinæ ex Philosophiâ Gentili.* 19. *Cognitio primi falsi ad refutationem autoris utilis.*

*lis. 20. Et imò necessa-  
ria. 21. Errores Aca-  
demici contra hanc ob-  
servationem. 22.*

*Circumstantia personarum  
in prudentia judicandi  
quoad ejus honestatem  
momentum non facit.  
Possum judicare de ve-*

*ritate sententia Patris  
aut Præceptoris. 23.  
modo id fiat modeste,  
& judicium postulet o-  
bligatio. 24.*

*Usus & abusus tabularum  
in prudentiâ cogitatâ  
proponendi. 25. 26.*

§. I.

**P**ostquam intelleximus men-  
tem Præceptoris vel scriptoris, sequitur,  
ut postea de eo *judicium* nostrum adhibea-  
mus.

§. 2. Judicamus autem de variis, de *me-  
thodo*, de *stylo*, de *aliis modis proponendi*, maxime  
verò hujus loci est *judicium de veritate dicto-  
rum*.

§. 3. Atque hic in genere videndum,  
utrum ea, quæ in parté generali *de veritatis  
principio*, & *regulis bonæ methodi* tradidimus, fue-  
rint observata an minus?

§. 4. Tum omninò *judicare volenti ob-  
servanda est regula, ut non facile judicet nisi de  
re integrè percepta*.

§. 5. Etsi enim non sit diffitendum, ali-  
quos ita lynceos habere oculos, ut ex unò col-  
loquiò,

loquiô, ex tractatu obiter & cursoriè perlectô, exactè judicare queant; tamen & paucissimi hi sunt, & ferè ii solùm, qui crebris actionibus *habitu prudentiæ judicandi* jam acquisiverunt.

§. 6. E contrario si non exercitatum est judicium, indicium *præcipitantiæ* est, si quis re non probè perpensâ judicet. At præcipitantiæ suprà inter præjudicia retulimus.

§. 7. Accedit, quod non rarò scriptor à via trita docendi & sententiis communibus recedat, ac quod primò intuitu minus rectè aut convenienter positum putatur, in eo lateat *singularis quedam elegantia, aut veritas abscondita*, quæ conspici aut detegi nequit propter unius partis cum alterâ connexionem, nisi omnibus expensis.

§. 8. Nam potest, ut ex suprà dictis patet, *methodus bona esse*, etiamsi quis ea tractet locò ultimò, quæ secundum canones SCHOLASTICORUM tractanda erant in *primò*. Ac ulterius pro libertate methodi *arbitrariæ fundamentalis propositio*, cui tractatus innititur, jam poterit demonstrari, in locò ultimò, jam in mediò, jam in primò.

§. 9. Quare quod *methodum* attinet, pro *incipientibus* exercere judicium non incommodum erit, si tentent scriptores non ita prolixos resolvere in *tabellas*, ita ut præmittant *tabulam genera-*



*generalem*, quo sistatur nexus totius tractatus & ejus capitum, tum subsequantur *speciales*, tradentes connexionem singulorum paragraphorum in singulis capitibus.

§. 10. At ejusmodi quidem consiliis non est opus in resolvendis communiter *Disputationibus Academicis*, quæ secundum methodum pedanticam *causalem*, aut v. g. in jure secundum *jura personarum, rerum & actionum* ferè conficiuntur. Cùm enim methodus hîc semper sit eadem, oleum & operam perderemus, si in re ubi vis obvia vellemus judicium exercere.

§. 11. Idem sentiendum est in scriptoribus, qui ferè in singulis paragraphis ipsi prolixis verbis connexionem ostendunt, sed in iis, qui methodum eleganter *abscondunt vel dissimulant*.

§. 12. Quare non putandum est, si incipientes connexionem capitum vel paragraphorum non statim capiunt, esse *vitium in scriptore*, cùm possit esse *vitium in ipsis*, quod in ea disciplina nondum probè sint versati, neque connexionem unius thesios cum alterâ calleant.

§. 13. In hujusmodi scriptorum resolutione insuper incipientes id proficiunt, ut cum in tabellis quantum fieri potest, pleraque ad dichotomiam revocentur, exercent sese *in inveniendis rerum convenientiis & differentiis*.

§. 14. Quod si tabulæ sint confectæ, initio in *generali tabulâ* observabunt, an faciliora tractata fuerint in principio nec ne? Deinde in

*tabu-*

*tabulis specialibus* videbunt, annon, quæ ad aliud caput pertinebant, *alieno loco* posita sint? annon quæstiones eadem *sæpius* quàm semel ventilentur? annon prolixiores sint scriptores in *generalibus*, & de quibus nemo dubitat? (ita nihil frequentius est in Disputationibus v.g. de certis contractuum speciebus prolixè tractare, quod furiosus, minor, pupillus &c. contrahere nequeant) an multæ ac prolixæ *digressiones* fuerint usurpatæ? an *allegationes* ineptæ cumulatae? an *annotationes* de rebus alienis, & ad scopum nequaquam pertinentibus fuerint adhibita? &c.

§. 15. Sed quod *veritatem* attinet aut *falsitatem* scripti, pessimè sibi consulunt, qui conclusionibus saltem pensitatis negligunt *fundamentum*, cui autor conclusiones suas superstruxit.

§. 16. Nam non rarò eveniet, ut *conclusiones* videantur *falsissimæ*, quarum tamen *veritas* evidens est, si fundamenti demonstrationem consideres.

§. 17. Ita si quis in *Institutionibus nostris Juris Divini* legat, quod defenderimus, *incestum parentum, Sodomiam, extinctionem libidinis jura alterius non violantem* &c. haud esse contra legem naturalem, non poterunt non hæ conclusiones utpote singularissimæ ipsi videri falsæ. Facile autem hæc apparentia cessabit, si legat attentè *differentiam Juris Divini Naturalis & Positivi* initio *apodicticè* demonstratam.

§. 18.

§. 18. Vice versa sæpius *conclusiones* possunt videri *vera* quia communes sunt, quæ tamen statim *falsa* esse deprehenduntur, *si principium* earum consideres.

§. 18. Tales sunt pleræquæ *conclusiones Philosophia gentilis* ortæ ex eorum primo falso de duobus principiis cœternis Deo & materiâ primâ, e. g. *quod veritatis criterium sint idea*; Somnia PERIPATETICORUM de *materiâ primâ*, de præstantia *Summi Boni Theoretici præ Practico* &c.

§. 20. Quin imò, etsi *conclusiones* etiam falsæ appareant æquè ac principium, maximè tamen ad *refutationem* conducit, *si primum falsum* cognoscatur, quoniam eò sublatò *conclusiones* suâ sponte ruunt, non vice versâ.

§. 21. Quin potius, si primum falsum auctoris ignorem, accidere potest, *ut ad pugnam* adversus ipsum me non possim justè præparare, reputans, quod is propositionem, primo ejus falso contradicentem admissurus sit. Unde non potest non postea ridicula pugna evadere, si unus *ex hypothesis* ab altero negatâ *formet conclusiones* ejus *conclusionibus* adversas.

§. 22. Ac tales sunt pleræque *Disputationes Academica* adversus CARTESIUM, HOBBSIUM &c. nisi quæ ex scriptoribus accuratioribus de verbo ad verbum sunt exscriptæ.

§. 23. De *honestate* prudentiæ judicandi ut multa addamus, non videtur opus, nisi id uni-

61108

*cum* notemus, non admittere prudentiam judicandi *circumstantiam personarum*, ac stultos esse, qui pro peccato habent, si quis judicet de veritate sententiæ *paterna*, aut quæ à *Præceptore* sit defensa. Istitis enim rectè opponimus vulgatum, *Amicam esse maximè debere veritatem præ omnibus amicis*.

§. 24. Non confundenda tamen est *res ipsa cum modo*. Unde *modestius* debet formari iudicium de personis, quibus reverentiam debemus, quatenus & isti vincula reverentiæ non rumpunt ipsi. Quin & iudicii declaratione erit *abstinendum*, ubi non simus *obligati* ad veritatem detegendam. Obligati verò sumus vel *ex pacto*, ut in collegiis, vel si per detectionem veritatis *magnum malum* possit averti, aut *magnum bonum* promoveri.

§. 25. De *Utilitate* jam quædam inspersimus in præcedentibus. Cave tamen, ne ea, quæ de confectione tabularum diximus, ita intelligas, ac si putemus, magnam utilitatem afferre, si *disciplina per tabulas tradantur & exhibeantur*. Non enim amplius occupati sumus in prudentia *proponendi cogitationes* proprias, sed in prudentia judicandi de aliorum cogitatis.

§. 26. Quamvis nec in *prudencia proponendi* usus tabularum sit nullus, sed ad adjuvandam *memoriam* aliquid conducat. Unde tamen facile vides non *necessarium* hâc aut maximè com-  
men-

mendabilem hunc esse usum. Vides etiam usum istum pertinere saltem *ad incipientes*. At cum eruditis scribimus, quod plerunque fit, *pedanticum esset, tabulis omnia velle proponere.*

## CAP. XV.

*De*

### Prudentia contradicendi.

#### SUMMARIA.

**C**onnexio. 1. *Contra-Sophista* (1) *loco responsionis probant thesin.* 12. *Hujus vitii remedium.* 13. (2) *opponenti proponunt questiones.* 14. *Remedium.* 15. (3) *aut distinctiones obscuras proferunt.* 16. *Cautio adversus hos.* 17. (4) *aut pugnam tanquam à proposito alienam declinant.* 18. *Quomodo cum his procedendum.* 19. (5) *aut deniq, vel theses relativè ponunt, vel verba propria torquent, vel ad autoritatem provocant.* 20. *His suadendum ut descendant de cathedrâ.* 21.

*Condictio fit vel vivâ voce vel in scriptis.* 2.

*Si vivâ voce, tum cognitus esse debet processus disputandi.* 3.

*Vitia disputantium.* 4.

*Communia & respondententi & opponenti* (1) *Discursus inconveniens.* 5. *Hujus remedium.* 6. (2) *repetitio rerum sapius prolatarum.* 7. *Hujus remedium.* 8.

*Specialia respondentium.* *Hi vel rudes vel Sophista.* 9.

*Rudes peccant taciturnitate.* 10. *Cum his pugnare inglorium.* 11.

*Oppo-*

- Opponentēs rudes ex misericordiā sunt adjuvandi. 22.
- Sophistæ vel cnius probandi effugere volunt. 23. Si leges contradictionē prohibeant, parendum. 37.
- Universales Propositiones scilicet probando per exempla. 24. Responsio adversus hos. 25. aut rationem negationis exigendo impudentius. 26. qui simili modo repellendi. 27.
- Vel respondentes aliò abducere volunt (1) alienam mentem ipsis affigendo 28. His opponenda iusta verborum interpretatio. 29. (2) questionibus illos ad alienam litem abducere intendendo. 30. Quomodo horum technæ evadendæ. 31. (3) derelinquendo litem & instantias invadendo. 32. His nullæ instantiæ danda. 33.
- In scriptis vel incipimus à prima falso. 34. Posterior modus melior. 35. Ejus neglectus frustraneam parit operam, 36. Si leges contradictionē prohibeant, parendum. 37.
- Parentibus & Præceptoribus non contradicendum 38. nisi intersit juventutis aut Reipublicæ. 39. Per contradictionem non laeditur reverentia parentum & præceptorum. 40.
- Leges prohibent, ne de omnibus rebus, & v. g. de legibus ipsis disputemus. 41.
- Modus disputandi debet esse modestus. 42.
- Damnōsum, disputare in conversatione quotidiana. 43. Non tamen propterea assentiendum omnibus sententiis. 44.
- Defensio sententiæ novæ, modo vera sit, non damnosa. 45.

P

S. 1.

## §. 1.

**S**i iudicavimus, scriptorem à veritate aberrasse, sæpe evenit, ut ipsi *contradicimus*, eumque *refutemus* ostendendo falsitatem doctrinarum ab eo propositarum.

§. 2. Fit istud vel *vivâ voce*, vel *in scriptis*. Prius quod attinet, quoniam ea refutatio *disputatio* vocari consuevit, & verò communiter receptum est, ut disputationes instituantur *sylogisticè* necesse est, ut quis præprimis calleat *processum disputandi*.

§. 3. Atque hunc sollicitè ac perspicuè exposuit B. PATER *in peculiari discursu*.

§. 4. Qui verò processum disputandi novit, ille simul vi oppositorum callet *vitia*, quæ in hoc processu ab opponentibus pariter ac respondentibus committi solent. Quæ ex parte exemplis elegantibus jucundè proposuit CLARISSIMUS WEISSIUS *in Logicâ suâ*. NOS recensebimus ea saltem, quæ ipsi ut maximè frequentia, sumus experti.

§. 5. *Commune & Respondenti & Opponenti* vitium est, si non disputent formaliter, sed *per discursum* aliena & inconvenientia afferant, auditoriumque adeo repleant vanis clamoribus.

§. 6. Huic non melius *obviâ* iri potest, quàm si *Respondens* urgeat argumentum; *Opponens* verò responsionem formalem ad argumentum per negationem aut limitationem præmissarum.

## §. 7

§. 7. Aliò modò ab utroque peccatur per repetitionem responsionum aut instantiarum, quibus jam ab alterutro satisfactum est.

§. 8. Huic vitio, quia impudentiâ laborat, aliò modò satisfieri nequit, quam a terius modestiâ, ut post brevè demonstratiònẽ, quod ista responsio aut instantia jam sæpius explosa sit, transeat ad alia, & rem iudicio auditorii relinquet.

§. 9. In specie quod respondentes concernit, illi vel sunt planè rudes vel Sophista,

§. 10. Rudes peccant taciturnitate, dum sæpius non possunt assumere, vel talia respondent, quæ nihil significant, & quæ ne ipsi quidem intelligunt.

§. 11. Cum his pugnare inglorium est. Quia potius iis gratia agenda erunt pro solidissimis responsionibus, quia taciturnitas est virtutum potissima.

§. 12. Sophistæ plerumque locò responsionis ad argumentum probant thesin, ac ab opponente desiderant responsionem.

§. 13. Hi cum apertissimè confundant officia disputantium, urgendi sunt saltem, ut responsionem datam applicent ad argumentum.

§. 14. Similes prioribus sunt ii, qui cum opponente per quæstiones agunt, v. g. Domine Opponens dic mihi per Dei gratiam, annon putas, sententiam, quam defendo, esse orthodoxam? aut: Eja Opponens, si tu tam nasutus es, ut velis refutare veritatem nostræ thesios, dic mihi quæso, quamnam est alia causa effectus, de quo disputamus &c.

P 2

§. 15. His



§. 15. His regerendum est, non disputationem institui debere per *questiones*, sed per *argumenta*, aut si maximè quæstiones debeant usurpari, eas pertinere ad *opponentes* non ad *respondentes*. Vel etiam *responsionis* locò ipsis dari potest talis per jocum, *quam ipsi non intelligunt*.

§. 16. Alii cautiores proferunt *distinctiones* *curiosissimas*, quæ tamen subtiles esse apparent, ea cum intentione, ut, si opponens vim limitationis non intelligat, abstineat ab instantiis, reputans quasi, sibi de decori fore, quod distinctiones in scholis receptas non noverit.

§. 17. Sed hi quidem strenuè urgendi sunt, ut terminos distinctionum obscuros *claris & perspicuis periphrasibus explicent*. Cum potius honori reputandum sit, ignorare stultas Scholasticorum subtilitates.

§. 18. Rursus alii, si aliquoties per distinctiones & limitationes formaliter responderunt, opponens verò adversus istas nova argumenta protulerit, quorum adeò ultimum non continet conclusionem thesi, contra quam status controversiæ fuit formatus, directè adversam, istò stratagemate utuntur: *Dilabimur à scopo*, quia argumentum tuum thesi meæ non repugnat.

§. 19. Adversus hos bonâ memoriâ est opus, ut opponens promptus sit, ipsi auditorio demonstrare *connexionem ultimi argumenti cum primo*, quod thesi directè contradicebat, sed

sed hoc sæpius est res magni laboris, præprimis si opponens sit in disputando fervidus, & respondens subtiliores distinctiones protulerit.

§. 20. Istud verò est pudendum respondentium effugium quamvis non infrequens, cum dicunt, *se thesin*, quam verbis conceptis affirmarunt, *posuisse tantum relative*, aut si negant, illum *sensum* esse theseos, quem tamen *communis loquendi modus* ostendit, aut si dicunt, *se sentire cum hoc vel illò Virò Venerando*, qui talia non propositurus fuisset, nisi forent vera.

§. 21. Atque his quidem jure suaderi poterit, ut *de cathedrâ descendant*, eamque relinquunt iis, qui melioribus responsionibus sunt instructi.

§. 22. Venio ad *opponentes*. Hi & ipsi sæpius planè *rudes* sunt, ut vix quæ alius ipsis dictavit in calamum, memoriter proferre valeant. Cum his magis ex *misericiordiâ* agendum est, ut respondens ipsos *adjuvet* paululum, quoniam planè nocere nequeunt.

§. 23. *Sophista* vel *onus probandi* effugere volunt, vel respondentes *aliò abducere*.

§. 24. *Priores* plerumque destituuntur probatione *majoris* tanquam propositionis universalis. Ne tamen nihil locò probationis afferant, frequens est, ut majoris universalitatem probare aggrediantur per *exemplum*.

§. 25. His brevissimis respondendum est, *per particulare non probari universale*.

§. 26. Qui impudentiores sunt, quasi re bene gestâ à respondente *rationem negationis* exigunt Syllogistice: *Quicumque propositionem aliquam sine ratione negat, ille peccat. Atqui Respondens; E.*

§. 27. Hi vitio respondenti non poterunt vertere, si ab ipso aliud argumentum audiant. *Quicumque propositionem aliquam nullâ ratione probat, ille peccat. Atqui opponens. E.*

§. 28. Qui respondentes alio abducere volunt, aliquando malè formant *statum controversiæ*, & respondentibus *alienissimam mentem* volunt obtrudere, thesibus licèt expressè refragantibus.

§. 29. His ostendi debet ex prælectione verborum thesæos, quòd regulas *bonæ interpretationis* non observaverint.

§. 30. Alii cautiore: cum cognoscant, se controversiam, quam tractare volunt, ex thesi non posse deducere, quæ tamen fortè thesi affinis sit, tentant, an *questionibus* possint respondentes seducere, ut de illâ controversia mentem suam aperiant.

§. 31. Adversus hos urgeri potest, quòd secundum methodum receptam disputemus, non *questionibus* verùm *argumentis*.

§. 32. Alii denique gnari, respondentes melius callere disputationem quàm alias materias; expectant donec respondens ad majorem in argumento respondeat *dando instantiam*.

am.

*am*, tum sophisticis argumentis instantiam datam aggrediuntur, principale argumentum relinquentes.

§. 33. Ergò horum technas evadet respondens, si nullas instantias afferat, sed saltem *simpliciter neget majorem*, vel, si maximè jam instantiam dederit, concedat opponenti argumentum contra instantiam, & urgeat adhuc majoris probationem.

§. 34. *In scriptis*, ubi *plures sententiæ falsæ refutandæ* occurrunt, dupliciter id fieri potest, ut vel *à conclusionibus* procedamus ad primum falsum, vel *à primo falso* ad conclusiones.

§. 35. Prior modus laboriosior est, & fustior, posterior succinctior & accuratior.

§. 36. Quod si verò adversarii primum falsum detegere & refutare planè quis omittat, & *tantum circa conclusiones* occupatus sit, is sæpius frustrà operam impendet præsupponendo videlicet in scripto suo thesīm aliquam tanquam veram, cum tamen contradictoria ab adversario pro verâ habeatur, & si in illa primum ejus falsum consistat.

§. 37. Utrobique circumspicere debet is, qui alterum vivâ voce vel in scriptis refutare vult, ne peccet *contra leges*, quæ pro diversitate circumstantiarum contradictionē prohibent.

§. 38. Intuitu *personarum* non diffitendum est, ob reverentiam *parentibus & præceptoribus* debitam aliquando à refutatione

ipforum abstinendum esse, si nempe nulla circumstantia aliquem ad refutationem urgeat.

§. 39. At si *informanda sit Juventus*, si *Reipublica intersit*, aliô modô veritatem detegi, obligatio ex pacto orta & Republicæ debita vincet reverentiam parentibus & præceptoribus debitam, & studium veritatis superabit omnes affectus.

§. 40. *Quin potius reverentia non læditur*, si quis à parente & præceptore dissentiat, quoniam non est officium reverentiæ, credere parentibus & præceptoribus in rebus ad rationem pertinentibus, quia jam suprà id retulimus inter præjudicia.

§. 41. Porro de *aliquibus rebus* leges disputari nolunt. Præprimis prohibita esse solet disputatio contra *leges ipsas* instituta, quia ea maximè lædit tranquillitatem Republicæ.

§. 42. *Quod modum disputandi & refutandi* concernit, si nullam aliam ob rem, certè ob *modestiam*, quam adhibere in disputando solent, commendari merentur SCHOLASTICI, contra quod peccatur communiter, dum disputationibus immiscentur injuriæ scommata, & id genus alia.

§. 43. *Ineptum autem potius & damnosum* quam injustum est, si quis in *conversatione quotidiana* disputare & *aliis contradicere* studeat, quia ejusmodi homo non poterit non multos sibi reddere inimicos, cum conversationes  
quo-

quotidianæ veritatis inquirendæ gratiâ non instituantur, sed hilaritatis & jucunditatis honestæ causâ. Ergo utinam, juvenes præprimis, observarent canonem vulgatissimum: *Inter pocula non est disputandum.*

§. 44. Sed & hic tamen cavendum, ne quis vitans contradicendi studium alterum extremum incurrat, & in conversatione omnibus sententiis, quæ proponuntur, assentiat, quia tum vel pro imprudente vel pro adulatori habebitur.

§. 45. Non verò *damnum* timebit homo sapiens, quod *sententiam aliquam novam defendat*, modò *vera* sit, quoniam non poterit non, etsi ea defensio ipsi non paucos inimicos paritura sit, eadem alios & præstantiores amicos ex Viris prudentibus acquirere.

## CAP. XVI.

De

## Pedantismo.

### SUMMARIA.

**I**nter opposita prudentiæ ratiocinandi est Pedantismus. 1. Huberi oratio de Pedantismo commendatur, & Logicè resolvitur. 2. 3. Pedantismus sumitur (1) *impropiè*, 4. & quidem potissimum, sex modis. 5. (2) *propriè* pro doctrinâ, fastu, virtute fictâ ineptoque judicio correptâ 6. Per doctrinam vocem, P 5 ostendit.

ostenditur, quod hoc vitium iis, qui docti esse cupiunt, sit proprium. 7. *Ficta virtus quid denotet.* 11.  
*Ineptitudo iudicii.* 12. (1)  
*Fastus est vel fastus in specie.* 8. *Qui ad hanc classem referri mereantur.* 13. (2) *in excolenda eruditione*  
*9. vel ostentatio, cujus vitæ communis.* 15.  
*species tres.* 10. *Exempla Pedantismi.* 16.

## §. I.

**H**Actenus de prudentia ratiocinandi absolvimus. Qui hanc prudentiam destituuntur, imprudentes sunt. Quæ imprudentia, si cum fastu & opinione prudentiæ conjuncta sit, dicitur *Pedantismus*.

§. 2. *Pedantismi & Pedantum* vox ferè in omnium ore est, quid sit *Pedantismus* pauci declarare intendunt, ex professo, quod sciam, præter ULRICUM HUBERUM tractavit nemo.

§. 3. *Cujus Viri oratio elegantissima* cum non in omnium manibus sit, & verò egregiè nobiscum, qui *pedantismum* arbitramur esse *imprudentiam ratiocinandi cum fastu conjunctam*, conveniat, non pigebit, ex eo, quæ ad ulteriorem hujus vitii cognitionem Logicam pertinent, paucissimis excerpere, & postea ipsam orationem integram subjungere.

§. 4. *Pedantismi* igitur vocabulum vel sumitur *impropriè*, vel *propriè*.

§. 5. *Impropriè* pro pedantibus habentur

1. ab

1. ab hominibus indoctis omnes docti 2. principes eruditione excellentes 3. Doctores & Magistri honoratarum artium 4. Soli Philosophi, aut 5. Philologi, vel 6. Scholarum inferiorum Magistri.

§. 6. Propriè Pedantismus, quem à *Pedagogismo* dictum arbitratur HUBERUS, denotat doctrinam fastu, virtute fictâ, ineptoque judiciâ correptam.

§. 7. Sub *doctrinæ* voce innuitur, omnes, quicunque doctrinæ participes haberi cupiunt, si eam memoratis vitiis corrumpant, pro Pedantibus esse habendos.

§. 8. Primum vitium est *fastus*, qui est vel *inspécie*, vel *ostentatio*.

§. 9. Ad *fastuosos* in specie referendi sunt 1. qui *jaçantia* enormi intolerabiles sunt, 2. qui *dissentientes ferre nequeunt*, sed eos vel vi vel dolose destruere aggrediuntur, 3. superiorum Facultatum Doctores *Philosophiam* tanquam inutilem negligentes, 4. Philosophi, qui, se *superioribus Facultatibus leges præscribere* posse arbitrantur, 5. *Philologi & Grammatici* magnorum ingeniorum *Scripta carpentes*.

§. 10. *Ostentatores* sunt 1. qui *nunquam ignorantiam* in rebus ad professionem suam pertinentibus fateri volunt, 2. qui se *lectione præparant ad certas quæstiones*, easque captatis occasionebus in medium proponunt, 3. qui *versiculos, sententias, verba Latina, Græca, Hebræa, terminos scholasticos, leges, præcepta medica, aliaque eruditionis argumenta* proferunt, ubi *nihil usui* veniunt.

§. 11. A-



§. 11. *Fictæ virtutis* rei sunt, qui cùm fœneratores, ebriosi, scortatores & profani sint, hisque vitiis evidenter se conspurcent, simul tamen fronte capêrata gravibusque verbis doctrinæ prætextu contrarias virtutes asseverant.

§. 12. *Ineptitudinem judicii* quod attinet, præsupponendum vel potius repetendum, genus optimum doctrinæ id esse, quod minimè recedat à judicio communi hominum, qui simplicitate naturali utuntur accedente cultu civilis conversationis, unde ineptum judicium est, quod à communi illò & civili judiciò recedit

§. 13. Poterit autem illa *ineptitudo* hominis docti trifariam considerari 1. in *excolenda eruditione*, si quis studeat rerum cognitionem barbaris & obscuris terminis involvere atque tegere.

§. 14. 2. *Inpraxi eruditionis*, si quis notoria vel tædiosa ac impertinentia proferat, & in iis recensendis prolixus sit.

§. 15. 3. *Inpraxi vite communis*, si quis in habitu, incessu, vultu, motu corporis, ipsoque sermone singulare aliquid affectet, contraque judicium commune se conspiciendum ridendumque præbeat.

§. 16. *Exempla* hujus rei addere partim odiosum esset, quia hauriendâ forent ex omnibus Facultatibus, partim frustraneum, quia quotidie occurrunt, multaque hanc in rem congesta sunt ab ipso HUBERO, quem lege.

SOLI DEO GLORIA.

UL-

ULRICI HUBERI  
 O R A T I O,  
 De  
 PEDANTISMO,  
 HABITA,  
 Cum Reçturâ Academiæ  
 Tertiâ sese abdicaret.

Kal. Jun. 613 Idc LXXVIII.

**F**Ridericus Rex Germaniæ & Imperator, qui ab aheneâ sive *rosâ* barbâ celebre cognomen tulit, vir animo fuisse memoratur inprimis Heroico præditus, quemadmodum res ejus per Italiam atq; Germaniam gestæ & constantia adversus iniquas Pontificum usurpationes egregiè testari possunt. Quamvis autem Ille totum imperii vitæque suæ spatium in armis belli exegerat, ut jure meliore, quam qui alias hoc nomen meruit, *filius castrorum* vocari posset, nihilominus erga literatos hominesq; studiosos liberalē humanissimumq; Principem exercuit. Ab hoc affectu prodiit illa nobilis constitutio, quam apud Roncalias in campis Placentinis medio fere seculo duodecimo promulgavit. \* Nam ut alia, quæ in istâ Legge continentur, silentio præteream, cum ante hac ab omni memoriâ, quod ad imperia & jurisdictiones attineret, ordo literatorū nullo jure præ-

\* *Authent: Habita C. Ne fil. Pro Patre.*

re præcipuo, sed iisdem cum plebe Magistratibus subiecti fuissent, Fridericus ita sancivit, ut qui studiorum causâ uno loco in universitatem confluxissent, ne ad aliud, quam ad Domini sive Rectoris sui tribunal rerum judicandarum causâ vocarentur. Ratio, quæ Cæsari tam novæ & à priorum temporum exemplis alienæ sanctionis constabat, hæc in primis ab ipso memoratur; ut occasio atque facultas hominibus indoctis & insolentibus indignè habendi studiosos efficaci remedio adimeretur. Nam etsi magnanimus ille Princeps Eruditos eximio affectu laudibusq; decoris prosequitur, haud tamen dissimulat, apud vulgus profanum eos non tolerabili contemptu odioque fuisse agitados. Nec dubitandum, quin huic injuriæ multo magis obnoxii fuissent, si omni die ab importunis hominibus ad promiscua tribunalia litesque trahi potuissent. Enimvero, quamquam de patriæ nostræ Magistratibus incolarumque ingenio nihil sit quod conqueramini, *Juvenes Ornatissimi*, si tamen ita juris in nostrâ Academiâ esset, ut omnibus recuperatoriis & fiscalibus judiciis coram oppidanis Rectoribus obligari possetis, credo vos ipsos facile existimare, quam non eâdem atque jam experimini lenitate & indulgentiâ, salvo publicæ disciplinæ vigore, in illorum dicasteriis confisteretis. Mihi profecto doctrinæ studiorumque conditionem reputanti, nihil indignius & inimici-

us illis occurrit, quam ut hi, quos Musarum deliciis innutritos eorumque secretis abditos esse oportebat, fori turbamenti & rabularum clamoribus immisceantur. Quapropter, rem, nisi fallor, gravitate sapientiaque sua dignissimam fecere *Proceres*, quod cum hanc Almam in civitate procul à motu universæ Reipublicæ strepituque magni fori stabilirent, Professores studiososque ne hujus quidem urbis magistratibus subjectos esse voluere; sed imperium & jurisdictionem adeò puram atque synceram Academiæ seorsim constituerunt, ut aliam in vicinis regionibus parem ullam extare vix adfirmaverim. Denique, non tantum eò conducit hoc institutum, quod studiosi in tuto & in tranquillo hac via collocentur; sed aliquid etiam, nisi me fallit opinio, dignitatis id ordini nostro conciliat, quod non modo literis elegantissimisque ornatus, sed etiam Legibus & potestatis publicæ præsidio armatus conspiciatur. Hoc enim ejusmodi est, ut prætextum iniqui scommatis, quo literati, scholasticorum & nescio quo *pedantarum* nomine vulgò traducuntur, haud parum infringere videatur. Nam *Pædantissimus* ille, quo titulo doctrinæ professionem honestare volunt, ab auctoritate magistratum & potestate judiciorum, quâ circumdatus est ordo noster, etiam vulgi judicio penitus abhorret. Nec temerè quicquam ægrius inimici literatorum ferunt, quam quod in hujus

jus amplissimi juris possessione à Summis Potestatibus Academiæ defenduntur atque vindicantur. Etenim ita clam palam præ se ferunt acuti Censores, jurisdictionem publiciq; vim imperii res ejusmodi esse, quæ non benè sedent humeris Pædagogorum. Venit mihi in mentem, *Auditores*, cum hac hora sceptrum Academicum in successorem transferendum sit, de re, quam volunt à jure Magistratuum esse tam alienam ex hoc loco verba facere. Quàm adeo de re, dicet aliquis vestrum, nunquid de *Pædantismo*? Ita consilium erat, si bona cum veniâ salvâque hujus loci majestate liceat, orationemque sic attemperare queam, ut nihil inepti sed utilem jucundamque dicendi materiam elegisse videamur. Verum, quod aliàs in proverbio fertur, *dimidium facti, qui bene cepit, habet*, id in præsentî causâ verissimum experimento videor inventurus; ut adeo bonum initium definitionemque *Pædantismi* magno comparatam vellem. Nam principii dubium me facit haud adeo copia dicendorum, quæ perplexum reddere queat oratorem, quam cæca fere ignorantia, & quod adhuc mihi non constet, an detur omnino *Pædantismus* in mundo, vel quid hac appellatione ab his, quibus omni die versatur in ore, significetur: Id enim à nemine mihi plane atque diserte unquam memini fuisse explicatum. Nisi quod hoc satis abundeq; apparet, in  
contu-

tumeliam doctrinæ hominumque eruditorum trahi interpretationem, adeo tamen lubricam & incertam, ut qui hoc vocabulo se nobis ægre facere putant, ipsi nullam expedire posse videantur. Mirificam oportet orationem expectetis, *Auditores*, ab homine, qui totum genus ejus causæ, de quâ dicere ingressus est, ignorare se fateatur; imo ipsum pene vocabulum, quod nec Græcum nec Latinum neque barbarum, sed origine Grajâ & flexione degenerante dubii generis esse vult, exemplo hybridarum. At tamen de verbo non usque adeo solliciti essemus, modò rem ipsam finiri in integro & in facili esset. Dantur equidem ejusmodi res, de quibus Aristotelem dixisse accepimus, *ἢ δὲ παντὸς ὄρον ζητεῖν* non omnium rerum querenda sunt definitiones; & *Pædantismi* tam varix species, tam δὲ *ἅπασι*, ut ajunt Musici, ab se invicem distantes usurpantur, ut sub unum genus differentiamque specialem nullo acumine dialectico redigi posse videantur. Quapropter nihil potius quod agamus esse video, quam ut sensa ususque diversos hujus convitii, quo studiosi nobilitamur, quatenus memoriæ nostræ occurrent, excutiamus, primoque adeo tractemus, quid non sit *Pædantismus*; & deinceps, an aliquid certi, in quo pedem figere liceat, redundaturum inde sit expectemus, quodque eveniet, id omne sedulo in rem nostram vertamus. Primò omnium satis id

Q

arbi-

arbitror esse notum, apud scurras urbanos, hominesque malignè indoctos omne genus doctrinæ artesque studiorum per contemptum hac ipsâ Pædantismi appellatione traduci. Nam sic illi opinantur, aut videri volunt, disciplinâ eruditionis cultuq; literario emolliiri atque resolvi hominum ingenia reddique inepta, non modò ad rei militaris patientiam, sed etiam ad Rempubl. gerendam aliaque negotia in societate civili administranda, quâ quidem in re potissimum naturam Pædantismi constituere videntur, etsi plures velint esse notas ejus & characteres. Atheniensium civitatem, quæ commune fuit eruditionis domicilium, ab eo tempore, quo clarissimis Philosophorum Rhetorumque ingeniis effloruit, Imperium amisisse, denique, ad interitum suum magnis passibus ruisse commemorant. Romanos etiam multò fuisse bellicosiores, antequam Græcæ artes inter eos doceri inceperint; ideoque Catonem illum Priscum vehementer improbasse ferunt, quod antiqui mores illis institutionibus corrumpi videbantur. Salutem attulit plerisque per Italiam & reliquum occidentem Bibliothecis, cum hæc pars Imperii à Gothis vastaretur, quod inter hos barbaros quidam prudentiæ opinionem apud suos consecuti adfirmabant, relinquenda esse hæc otii instrumenta devictis populis, ut inter libros desidentes armâ obviscerentur & jugum patientius ferrent. Sed in  
his

his refellendis non est quod magnopere defudemus, cum fere communi generis humani, partis saltem melioris consensu damnata sit hæc opinio, nec animus est in laudes doctrinæ, quo nihil esset proclivius, evagari. Testis mihi fit idem ille Cato Censorius, qui cum temerè, quod non intelligebat, damnasset, deinceps adeò mutatus est consilii atque sententiæ, ut eum literas Græcas in ipsa senectute discere non piguerit; non equidem elementa sermonis aut linguam Græcorum, ut vulgo perperam intelligunt; quippe cuius usus ei jam pridem, qui bellum in Græcia administraverat, notus & familiaris fuerat; sed literas studiorum, quas Romani Græcas vocabant, omnesque eas artes, ex quibus eloquentiæ disciplina, cuius facultas Catoni præcipua fuit, redundat & exuberat. Jam quod ad veteres Græcorum atque Romanorum Respublicas attinet, earum inclinationis & interitus causam, quis nescit aliunde multo quam à studio bonarum artium esse repetendam? Atheniensium vires tum conciderunt, quando *in segnitiam torporemque resoluti non, ut olim, in classem exercitusque sed in dies festos apparatusque ludorum redditus publicos effundebant*, quemadmodum ex Trogo Pompejo Justinus observavit. De Romanis nota est Sallustii Crispi auctoritas, qui fortunam ejus populi cum moribus immutatam esse doce, *ubi pro labore desidia, pro continentia & aequitate li-*

Q 2

bdo



*bido atque superbia invasere, postquam primo pecuniis, dein Imperii cupido creverat in immensum; Tunc enim fidem, probitatem ceterasque bonas artes esse subversas; illam quasi materiam, omnium malorum fuisse. Tantum igitur abest, ut doctrinæ studia quicquam ad infringendas istorum populorum vires contulerint, ut nullâ meliore viâ, quæ mala memoravimus, averti ac emendari potuerint, nisi major fuisset temporum labes, quam ut sapientiæ præceptis reparari & in pristinum statum restitui possent. Succedat igitur alia modestior & speciosior *Padantismi* interpretatio, quâ Principes & Magnates hujus vitii arguuntur, qui non contenti studiis literarum leviter tingi, etiam penitus illis imbui, aliisque in earum notitia præcellere gaudent. De *Hadriano* Imperatore proditum est in historiâ, cum ejus industria impensius ad Græca studia declinaret, eum vulgo *Scholasticum* & *Græculum* fuisse appellatum; denique Patrum nostrorum memoriâ, quid de *Jacobo Magnæ Britaniæ Rege* studiorum Professione inclyto senserint prudentiores, neminem vestrum opinor esse, qui non intellexerit. Unde parum abest, quin solidior adeoq; verior sit *Ludovici XI. Galliarum Regis* sententia, qui, ut ipse naturali præditus solertia insigni, curâ studiorum parum erat excultus, ita filium iisdem disciplinis erudiri vetuit, nihilq; Latinitatis quam unicum illud & decantatum carmen, *qui nescit simulare**

*mulare, nescit regnare*, percipi ab adolescente voluit. Ad has ratiunculas & exempla facilis est responsio; Nam Hadrianus vivo dein exemplo vanitatem illius convitii notabiliter redarguit, cum omnes ferme suos antecessores, si *Julium* Dictatorem eximas, magnitudine expeditionum, alacritate in armis, laborumque patientia superaverit. *Jacobus* ille noster Britannus sanè ab armorum studio perquam alienus fuit, tamen res & tempus ejus aliud flagitabant; at nemo, cui secreta illius Principis innotuere, dubitabit, quin hæc & alia non pauca mali commatis ei à propriâ natura, postremo quoque dominationis licentiâ convulsâ & ab adulatoribus corruptâ hæserint, nihilque sit quod eruditioni hac gratiâ imputandum videatur. De Ludovico ejusque filio, quorum alter Regum malitiosissimus, alter infantissimus erat, dicere supersedeo. At in promptu sunt mihi exempla multo quidem clariora Principum; qui summis Oratoribus & Philosophis æmuli maximam bellicæ fortitudinis gloriam sunt consecuti. Quin omnes fere Græcorum & Romanorum Duces utraque laude pariter floruerunt, quorum mihi non licet heic recensere catalogum; at unum *Epaminondam* tacitus nullo modo præterire possum, qui cum ad summam Philosophiæ scientiam exercitatione non minus quam disciplina pervenisset, rei tamen militaris peritiâ vix ullum habuit superiorem.

Q,5

Hic

Hic est ille, qui incultam atque contemptam Thebanorum gentem, cum prius vilissima pars Græcorum fuissent, ad principatum nationis, magnitudine victoriarum evexit, & in veteratam Spartanorum gloriam, superstitè etiam nū *Agésilao*, rebus gestis magnificentissimis obliteravit, evertit, obrivit. Ex ejus domo prodiit *Philippus* Macedo, cui nihil æquè ad incrementa egregiæ indolis & secutiæ magnitudinis profuit, quàm quod Thebis per triennium obses habitus prima pueritiæ rudimenta in urbe severitatis antiquæ & in domo ejus, quem diximus, summi & Philosophi & Imperatoris deposuit. De *Alexandro* autem ejus filio quid est notius, quam eum sapientiæ doctrinæque notitiam majori gloriæ sibi quam omnia fortunæ ornamenta, quam totius orbis Imperium reputasse, nec ideo illum à rebus gerendis non modo esse retardatum sed adjutum maximè & inflammatum fuisse, ut ipse nunquam dissimulavit. De *Julio Cæsare*, qui ut ætate, sic peritia studiorum superavit Alexandrum, nihil addam, nisi quod ex interpretatione statuæ, quæ olim ad imaginem ejus extitit, intelligi potest, quæ alterâ manu gladium, alterâ librum tenebat. cum elogio; *Ex utroque Cesar*. Nec mirabitur è libro Cæsarem extitisse, qui Luculli audiverit exemplum. Electus erat Imperator ille contra duos orientis potentissimos Reges Mithridatem atque Tigranem. Ingressus est navem rei militaris

taris adhuc imperitus, duntaxat ut tanti motus bellum administraturus: navigationis ille totum tempus in libris orsus est atque consumpsit, eo fructu, ut perfectus Imperator è navi exiret summumque Ducem continuo præstaret. Quare finiamus hunc locum Alphonsi Regis eruditissimi dicto, qui boves esse, non homines, aiebat, quicumque Regum Principumque dignitatem scientia literarum dehonestari putabant. Superest igitur, si obtinere non possunt studiorum obtrectatores, doctrinam Principum simpliciter esse pædantissimum, saltem ut in Doctores atque Magistros, qui hoc unum agunt nec aliud quicquam profitentur, hæc appellatio conveniat: verum si per contemptum illud nomen, quemadmodum fit, honestarum artium Doctoribus adscribitur, quâ ratione probari possit, ut qui saluberrimum institutum in societate humanâ exercent, contumeliæ causâ demonstrarentur? *Plinius Secundus* non fuit Professor sed Consul atque Proconsul Romanus & tamen invidendis laudibus cumulat *Iseum*, qui annum sexagesimum excesserat & adhuc scholasticus tantum erat, diebus & noctibus nihil aliud agens, nihil loquens, nihil audiens; quo nomine vir summus eum non modò doctissimum sed etiam beatissimum prædicabat. Verum ratio, cur illi Professionem doctrinæ Pædantissimum esse velint, hæc imprimis reddi solet, quod qui docendis artibus se de-

Q4

dunt,

dunt, qui libris indefinenter incumbunt, nihil aliud audiunt, nihil vident, ad res civiles gerendas inhabiles & in idonei fiant. Quanquam iusta erat responsio, nullam inde contemptus aut reprehensionis causam hominibus à tritura forensi remotis imputari posse, malo tamen rectà prius cum Æliano respondere; qui ad hanc ipsam objectionem; *Εἰ τις ἐν ἀπράγμῃ λέγῃ τὰς φιλοσόφους, ἀλλ' ἐνεθῆ γὰρ αὐτῷ καὶ ἀνόητα ταῦτα;* *siquis*, inquit, Philosophos, hoc est, *Doctrina Professores*, rerum agendarum esse dicat imperitos, nã is imprudentiam atque stultitiam ipse suam declarat. In cuius rei fidem multa ex omni antiquitate refert exempla Doctorum sapientix, qui non modo Respubl. egregiè, dum viverent, gubernarunt, sed etiam saluberrimis legibus earum perpetuitati consuluerunt. Quid enim aliud Zaleucus, Charondas, Archytas, Thales, Bias, Chilon, Pittacus, Cleobulus & Anaximander fuere, quam Professores doctrinx iidemque Rectores civitatum & legumlatores felicissimi. Nec alius fuit Xenophon, Dux illorum decem millium, quorum expeditio adhuc inter miracula rei militaris habetur habebiturque semper. Plato autem quid in actione civili posset, in suâ quidem Republicâ noluit ostendere, quippe quam iustissimus Aristides *συχνῆς ἀδικίας δομένην*; multa egentem injustitiâ testabatur. Sed Platonis auctoritate præceptisq; Dion Syracusanus im-

impotentem Dionysii tyrannidem evertit, neque per Platonem stetit, quo minus optimi & duraturi status conditor fuisset, si monita Præceptoris Dion custodire potuisset. At illa quidem laus servata *Timoleonti*, qui ex viginti annorum secessu literario præfectus exercitui Siciliam immanibus tyrannis purgavit & ex afflictâ perditaq; Rempublicam post se florentissimam reliquit. Quin ipse Plato impigre militia functus est in oppugnatione Tanagræ atque Corinthi; ipsum denique Socratem tribus vicibus in bellum esse profectum contra Delum, Amphipolin & Potidæam idem Ælianus testatur. Quis denique Aristidem, Periclem, Demetrium Phaleræum, Phocionem summos fuisse nescit Philosophos & simul Imperatores Reique publicæ gubernatores? Proinde non est, opinor, quod eorum refellam cavillationes, qui ut Theologos & Juriconsultos atque Medicos Pædantarum numero eximi concedant, Philosophos tamen hoc nomine peculiariter designare solent, in quo totus est ubique Scepticorum ille Princeps Samosatenus Rhetor *Lucianus*. Quin etiam superiore seculo Thales ille Gallicus, quem Lipsius appellat, *Michael Montanus*, suo tempore pro exemplo & Synonymia pædantismi narrat usurpatum fuisse Magistræ titulum, ut idem esset, inquam, Magistræ atque Pædantæ cognomen. Unde prudenter non ita pridem Philosophi nostrates Magistræ

Q 5

nomen

nomen titulo Doctoris Philosophiæ magna consensu tegere & illustrare voluerunt: nam illud Magistri ψιλόν, nudum nimis & tritum vulgatumque evaserat; quod admodum vereor, ne non aliquando ipsis Doctoribus eveniat, ut horum quoque vilitas novo tituli commento detergenda videatur. Mundus regitur opinionibus, & hæc nominibus magis quam rerum differentiis afficiuntur, maximè in honoris reputationibus. Hoc jam olim ita visum Leonidæ Alexandri Magni Ephoro; qui, cum antea Regalium puerorum præceptores Παιδαγωγοί appellarentur, noluit hoc nomine jam trito nimis salutari, Φεύγον, ait Plutarchus, τὸ τῆς παιδαγωγίας ὄνομα, καλὸν ἔργον ἐχέσσης καὶ λαμπρὸν, licet illud nomen rem pulchram & illustrem contineat; ἀλλὰ προφθεύς Ἀλεξάνδρου καὶ Καθηγητής. Altor & præceptor Principis διὰ τὰ ἀξιώματα, ob dignitatis reputationem apud vulgus, appellari voluit. Cæterum, non expectabitis à me Auditores Ornatissimi, ut probem, Philosophiam nihilo magis contemptui esse debere, quam reliquas studiorum facultates, id enim ex iis, quæ modo de variis Philosophiæ Professoribus adducta sunt, abunde præstitimus. Una pars haud ignobilis doctrinæ studiorum superest, cui vehemens Pædantismi controversia propriis rationibus movetur, *Philologia*, quatenus hæc in primis ἀκροβείαν Grammaticam custodit & ab aliis servari postulat. Cum enim

enim ea circa res minutas versari & cura curiosa verborum à rebus agendis perquam aliena videatur, nulla pars eruditionis ad ingenium *Pædantismi*, sicut eam vulgò concipiunt, propius accedere creditur. **Quin** nec ipsi aliarum Facultatum Professores parum huc conferre videntur, quando exactioris literaturæ sæpè minus solliciti & à Criticis reprehensi ægrè ferunt, errores sibi pueriles objici, atque adeo vel ipsi principes, Philologis notam Pædagogorum adscribere gaudent. Sed tamen iniqua est hæc obtrectatio virisq; de genere humano præclare meritis indigna. Nisi enim per hos fuisset, etiamnum mera barbaries orbem Christianum obsideret eandemque doctrinæ conditionem haberemus, qualem ante renatas literas in omni genere studiorum fuisse accepimus. Theologi adhuc Thomistis aut nescio quibus Lombardinis forent similes, Jureconfulti nihil quam Accursiani aut Bartolistæ, Medici rudes omnis elegantix Empirici, Philosophia adhuc illas horridas & incultas notione, quibus olim referta fuit, eruçtaret. Nunc omnes disciplinæ humanioris literaturæ beneficio ad simplicitatem nitoremque veterum pene redactæ, novoque cultu & ornatu connectatæ sunt. **Quin**, aut ego fallor, aut, qui Philologicis artibus excellunt, longe altius suprà *Pædantismi* contemptum evehuntur quam plerique superiorum, quæ dicuntur,

Facul-



Facultatum Doctores: Nam qui Erasmus, Scaligeros, Salmasios, ne reliquos enumerem, nihil quam *Pædantas* fuisse contenderet, nã is justissimo gravissimoque literati orbis convitio exploderetur. Excelsius & admirabilius aliquid in ejusmodi nominum auditu intelligitur, quàm quod vulgaris doctrinæ laudibus æquiparari possit. Ego vero nec ipsos inferiorum Scholarum magistros per contemptum ullo modo *Pædantas* appellari patior. Ecquid enim, malum! meriti sunt homines utilissimam societati humanæ operam incredibili cum labore navantes, ut contumeliæ & insectandi causâ fas sit eos nominari? Atque ita jam hæctenus per omnia disciplinarum genera vagati, nihil invenimus, quod hominibus sanâ mente præditis putido ineptoque *Pædantismi* nomine dignum videri possit. Enim vero non possum existimare apud homines prudentiam adseverantes majoris pretii futurum esse, quod ego plerisq; potentibus in causâ haberi puto, quæ doctrinæ professionem hac voce dehonestare soleant. Fere enim ita ratiocinantur, Doctores studiorum utcunque regulas & præcepta de omnibus belli pacisque negotiis tradant, ipsos tamen nihil in Republica, nihil domi militiæve posse, nisi artibus uti velint, quæ gravitati professionis eorum minus convenient, quanquam & his ipsis rarò difficulterque se applicare soleant. Ad hanc objectionem nihil respondebo, fed

sed narrabo vobis historiam ex Æliano, quæ sic habet. Timotheus Canonis filius Dux Atheniensium, cum maximè secundo rerum successu floreret, patriamque crebris victoriis auctam plurimum illustraret, ideoq; omnia in Republ. ferè pro arbitrio regeret, vixque scirent Athenienses, quo eum honore potissimum dignarentur; cum ita in hominum oculis & admiratione versaretur, incidit aliquando in Platonem, extra mœnia cum quibusdam discipulis & amicis ambulantiem. Hunc primò Timotheus gravitate aspectus vultuque venerabilem suspicere cœpit; at cum differentem audiret de virtute veraque felicitate, abreptus admiratione rerum pulcherrimarum non potuit se continere, quin exclamaret ὦ τὸ βίη καὶ τῆς ὀντως εὐδαιμονίας; *O vitam veramque beatitudinem, & ad suos conversus, nos, inquit, res magnas tractare nobis videmur, quando de supplementis & de triremibus, de pecuniarum contributionibus, de expeditionibus nauticis & terrestribus, denique de honoribus & Magistratibus distribuendis in Senatu vel apud populum agimus; ἀλλὰ Φλίναφοι ἴτοι, sed nugæ sunt istæ acinertæ, ὕβλας πολὺς, præ his quibus ille divinus Aristonis filius suos auditores beat. O nimium igitur felices studiosi homines, sua si bona norint, iisque generose utantur & insistant! dicamus hoc jam audacter, non domestici sed tantum non adversarii auctoritate testimonii fidentes*

fidentes. Jam si defectus potentia nullum Prædantissimo prætextum dare potest, multò minus apud homines cordatos id efficiet illa, quæ in doctissimis hominibus fere deprehenditur, externi motus & moris ἀπειροκαλία, qua inter aulicos & exacti seculi homines sæpè conspicientos & prope deridendos se boni & docti viri præbent. Ne ad hanc quidem difficultatem meas rationes opponam; Sed referam quod *Michaël Montanus* de *Adriano Turnebo* homine politiorum literarum scientiâ suo atque postero tempore maximo commemorat; cum hujus, inquit, ingenium explorare vellem, an & ei contigisset, quod de hominibus nimium doctis aliquando intellexeram, ut alienis cerebris infuescentes suum amittant, nihilque nisi obsoleta sapiant, datâ operâ deduxi hominem in ejusmodi sermones, qui à professione studiorum ejus penitus abhorrebant. Sed reperi, inquit, ingenium adeò expromptum atque politum, judicii tam exacti memoriam, ut omni vitæ suæ tempore, nihil aliud quam id de quo itentidem loquebamur, egisse videretur. Duntaxat una res, ait *Montanus*, evidenter ei de erat, quod situm pallii habitumque corporis atque gestum ad modum aulicæ conversationis nullo modo formare posset, quæ profecto, ait idem *Gallus*, sunt res nullius pretii atque momenti. Quod velim observent, qui hodiè pro Prædantis habent eos, qui cul-

cultu fœmineo mollescere, qui commodè saltare, comam fictitiam in gradus frangere, ad compositum modum ambulare vocemque ad blanditias extenuare nondidicerunt. Sciunt, sapientes ea non modo flocci facere, sed & noxia atque damnosa putare. Quo tandem igitur desinet oratio nostra? nihilne Pædantismus erit quam succus loliginis atræ, quam indoctorum invidorumque hominum jejuna calumnia? vereor, ut hoc obtineri possit. Idem ille, quem modo laudavi Montanus, dari Pædantismum tenet extrâ controversiam, hominumque, etiam summorum ejus rei testimonia citat, inter alia Eximii Poëtæ Bellæi versum, quem ego ex hoc loco Gallice non audeo efferre; sententia est, *odi morte tenuis doctrinam Pædantarum*. Videndum igitur, ne non hæc res ita sit comparata, ut certum ejus discriminè & intelligentia quædam constitui possit; vix enim fieri potest, ut adeò fortis adseveratio cordatis hominibus exciderit, ubi nullum erat in rei veritate fundamentum. Tamen ne Montanus quidem, licet inscriptio capitis sit de Pædantismo; quem unicum mihi locum de hoc argumentoscriptum inter veteres atq; recentes auctores videre contigit; ne is quidem ipse quid proprie sit *Pædantismus* explicat aut explicare curat; Rationes saltem indagat, quare doctrina tam frequenter in Pædantismū degeneret, omnibusq; refutatis, hanc unâ amplectitur, quod

quod hodiè non amor ipse doctrinæ, sed lucri cupiditas eos qui docti habentur ad cultum studiorum subornet. Sed utcumque severe existimanti hæc ratio forte non spernenda sit; tamen ut hodie pædantismum etiam viri prudentes interpretantur, quanto quisque minus pecuniæ honesto studiorum labore potest acquirere, tanto propius à miseria pædantismi abesse judicatur. Ego sic cogitavi, an non ex ipso nomine, quod jam toties expressimus, aliquod filum, cujus ductu rei natura intimæq; rationes indagentur, apprehendi possit. *Pædantismi* vocabulum ex *Pædagogismo* corruptum esse nemini dubium videri potest. Unde qui primi hoc convitio doctrinam insectati sunt, ejusmodi vitium in hominib9 doctis notare voluerunt, quod *Pædagogis* aut frequens est aut ejusmodi esse creditur: Absit enim ut de viris honestissimis atque gravissimis, qui primis puerorum ætatibus sunt præpositi, quicquam in universum odiosi meritisque eorum indigni præsumendum putemus. Sane qui nobis familiariter cogniti sunt, eos ab hisce quæ narrabimus vitiis, alienissimos esse bene sumus adseverati. Non potest tamen negari, quin ita frequenter accidat, ut qui omne suum tempus in grege puerorum transigit, eosque minis & timore in officio continet; adsiduâ consuetudine quasi in naturam vertente talem habitum fere contrahat, ut etiam inter alios homines aliis.

aliisque occasionibus Pædagogicæ auctoritatis indoles elucescat; idque tam difficulter evitari potest, ut etiam suaves amœnique homines ingenii cognoverimus, qui utcunque in familiari conversatione nihil ejusmodi præ se ferrent, quoties tamen aliquid pro auctoritate administrabant, incontinenti Pædagogus è vultu, è sermone omniq; eorum gestu liquido apparebat. Primum igitur Pædagogismi vitium fastus & inepta auctoritatis affectatio habetur. Præterea, qui perpetuo in ludis inter pueros versatur, cum ingenium ejus minutis exercitiis necessario insuescat & dicta rebus æquare debeat, vix aliter evenire potest, quam ut judicium ejus de aliis quoq; majoris momenti rebus & ipsa oratio sensim degeneret ineptiamq; nescio quam per omnia redoleat? maximè cum ad civilia negotia vel agenda vel dijudicanda suo more se conferunt. Denique sunt etiam sua vitia Pædagogis, sicut aliis hominibus, libido, ebrietas, avaritia, impietas, aliaque plura; sed hoc illis peculiare præ cæteris est, quod dum in ludo cum pueris agunt illa itrenuè dissimulant, gravitate & severitate in altitudinem conditi, sola honesta inculcantes & rigide peccantibus interminantes atque punientes, ob ea quibus ipsi graviora multa flagranter omni die admittunt. Non est equidem quod hæc ita quis accipiat, quasi puerorum Magistris ea vitia magis essent familiaria quam aliis mortalibus; sed

R

hoc

hoc ad præfens institutum pertinet, quod, ubi illâ contage sunt infecti, vultu severo & ad virtutis imitamentum efficto inter pueros solent ac debeant uti. Nescio, an hæ observationes comparationesque sufficiant, ad Prædantissimi tentandam descriptionem, ut dicamus, eum esse *doctrinam, fastu, virtute fictâ ineptoque iudicio corruptam*. Si proposito meo satisfaciendum est, *Auditores*, oportet hanc definitionem per omnia sua membra exequamur, quod nescio, an hoc tempore, cujus copiam nobis hic actus largitur, absolvi possit. Videbimus quousque meorum laterum auriumq; vestrarum patientia duratura sit. Primo omnium, quando *Pædantissimam* diximus esse *doctrinam*, satis intelligendum dedimus, non utique solos Professores aut Ludimagistros hoc vitio esse infectos; sed etiam Medicos, Advocatos, Pastores, Senatores, Nobiles, imo Reges atque Principes & quicumque doctrinæ participes haberi gaudent in hunc censum venire posse, si doctrinam suam fastu, virtute fictâ ineptoque iudicio corrumpant. Fastus prima *Pædantissimi* nota esse debet, ut vult Definitio; non ut omne genus superbiæ, quod in quavis hominum sorte se passim exerit, huc referamus; est quædam species subtilior & ad usum applicationemq; doctrinæ propius accedens, quam ego duplicem videre videor, alteram *fastum*, alteram *ostentationem* appellabimus. *Fastus* non modo in his animadvertitur, qui  
jactan-

jactantiâ enormi intolerabiles sunt, ut Palæ-  
 mon Rhetor *apud Svetonium*, qui literas secum &  
 natas & morituras prædicabat, sed omnes qui  
 de rebus studiorum agentes sermone vultuq;  
*αὐθάδεια* sui que admirationem, contemptis  
 aliis, præ se ferunt. Nemo dubitat, quin hic  
 sit Pædantismus. Huc quoque retulerim, qui  
 dissentientes à se ferre nequeunt & tales bifa-  
 riam confidero. Quibusdam mos est conti-  
 nuo, si quis ab se diversum sentiat, *ἀντίβιον*  
*μαχέσασθαι ἐν αἰνῇ δηϊότι*, *Pugilis in morem hostili-*  
*ter arma vibrare*, quo furore passim homines do-  
 ctrinam professi magno cum ordinis sui op-  
 probrio agitantur. Nam quicumque prætex-  
 tus obtendi soleant, ego sic existimo, fastum  
 impotentem magisterii que affectationem ple-  
 rasque lites, siue magnæ, siue parvæ movean-  
 tur, excitare, fovere, inflammare, sine respe-  
 ctu sæpè decori, sine curâ boni mali que ad Ec-  
 clesiam, vel Rempublicam inde redundantis.  
 Est aliud genus eorum, qui contra se ausos di-  
 sputare, sublato ad frontem supercilio alteroq;  
 ad mentum depresso temeritatis increpant, ra-  
 tionibus aggredi dedignantur aut desperant;  
 vel etiam, qui torvo vultu, tumentibus oculis,  
 fulminantibus verbis in adversarios invehun-  
 tur; hoc est illud ipsum, quod Lucianus in *ἀλιείᾳ*  
 vocat *παιδαγωγείᾳ*; ita enim cum pueris agunt  
 Ludimagistri. Latè patebat hic articulus de u-  
 troq; genere fastus per omnes disciplinas facile  
 demonstrandas; sed hac parte laboris superse-



debimus; nam initium à Theologis faciendum esset; In quem ordinem tanta mihi reverentia superest, ut eum attingere non ausim; cæteros, his omissis, examinare non habet gratiam. Tamen, quod in universum ad omnes pertinet Facultates, quæ superiores dicuntur, id opinor, sine invidiâ licebit in medium proferre. Familiare novimus esse Theologis, Jureconsultis, Medicis aut utique multis eorum, Philosophos & rei literariæ Professores, quasi multò infra se positos despiciere, nec aliter quam ministras & ancillantes eorum artes considerare, quod etiam nominibus heræ & ancillæ cujusdam ex historia sacrâ demonstrare solent. Non nescimus, eam comparisonem haud omnino ratione carere sua; at, nisi ego fallor, bifariam circa usum applicationemq; ejus rei peccatur; Primo, quod res sæpè vertitur in contempto insolentiam; ita ut dum superiores Magistri propaideuticos velut *Pedantas* accipiunt, se ipsos *Pedantissimi* reos faciant; dein, qui ad dominas Artes conferre se volunt, sæpè famulis præteritis rectâ heras conveniunt, aut negligenter obiterque salutatis ancillis, veniâ nec dum impetratâ, ad ipsas dominas irruunt, suo tamen damno majore quam sentiant. Etenim ancillæ bene tractatæ amatoribus dominarum intima earum penetralia monstrare potuissent, qui nunc ut procedunt, in procætone tantum ad eas visitant, nec in adyta secretiora notitiamq;

in-

interiorem admittuntur, nolentibus indulgere se castissimis virginibus Dominis, tam audacibus & incultis amatoribus. Habebam, *Præstantissimi Juvenes* & ad vos imprimis divæ Themidos alumni, multa super hoc capite monenda, sed hæc hora non patitur digressiones. At nec Philosophi atque Philologi superioribus Magistris solent esse reliquatores, quin paria sæpè non segniter illis reddunt, dum ut crassos & omnis ingenii elegantiaæve expertes eos sæpè differunt, tantumq; de sua luce præsumunt, ut reliquos omnia inde mutuari cunctaque sibi debere prædicent; cujusmodi Philosophum memini adseverantem audire, neminem posse Jurisconsultum fieri bonum, nisi qui ante bonus esset Methaphysicus, quippe leges ausu verè *Pædantico* ex ejus artis regulis terminisque promitteret ac institueret explicare. Majoris autem superbia reos se peragunt Philosophi, at hoc nomine indigni, qui ex suis regulis Scripturæ sacræ interpretationem peti, adeoque se ut Theologiaæ Dictatores reputari volunt, quod problema non ita pridem magnis animis agitatum & bene maleque refutatum nec dum planè conquiescit. Est & aliud genus periculi, quod in atrocem pædantismum videtur defuturum, si quis eo studendi more procedat, quo ingentis animi Philosophus se usum esse gloriatur. Sententias, etiam in morali Philosophia plerasque novas & inauditas habet, quas ta-

R 5

men

men adeò certas & indubitatas prædicat, ut se non disputare, sed computare atque demonstrare affirmet. Tam inusitatæ certitudinis unam ait hanc esse rationem, quod nemo eorum, qui de iisdem rebus scripsere, commodo usus sit docendi principio. Quali vero ipse sit usus, indicat his verbis; *Incipit in ipsi dubitandi tenebris filum quoddam rationis, cujus ductu evaditur in lucem clarissimam.* Hinc omnia Græcorum Romanorum aliaque morum scita, tanquam præjudicia, ut ubique adseverat, missa facit; etiam talia, quæ omnium prima putabantur, veluti, hominem esse sociale, suum sui que tribuendum, τὸ μὴ καλὸν ἔπος ἔφουκαλὸν, *Turpia nunquam honesta sunt*, similiaque, nec patitur illis, ut principiis quicquam inædificari. Quod autem è dubitandi tenebris emergens clarè distincteque percipiebat, hoc ejusmodi esse credidit, ut ipsum fallere non posset, nisi Deum mentis & cogitationis artificem fallaciæ arguere vellet; hinc se computare, se demonstrare, se γεωμετρεῖν, quod Plato DEUM ipsum facere dicebat, gloriatur. Ingressus hanc studendi viam, cum in rationalibus sibi plauderet, facile ad existimandum adductus est, nec in literis Dei interpretandis quicquam illi methodo esse antevertendum: Si enim posito servatoque dubitandi & meditandi ordine legitimo, clara & distincta perceptio tam necessariæ veritatis erat, ut falsa Dei synceritate  
labi

lari non posset, quid hæsitaret cum omnia tum & sacras literas exigere ad hanc normam? Non opinor, eos omnes qui adfirmant, quicquid clare distincteque percipiunt, id non posse non esse verum, ita existimare, se posse talem dubitandi cogitandique legem ac ordinem instituere, ut eo custodito, in rebus etiam incertis obscurisque; judicandis nihilo magis falli possint, quàm DEUS Opt. Max. deceptor esse queat; absit à nostro seculo tanti erroris suspicio! Tunc equidem vehementer metuerem, eam lucem clarissimam, quæ ex tenebris methodicæ universæque dubitationis oritur, sæpe nihil esse quam arrogantem *δοκνησισοφίαν* & abruptam *αυτογνωμοσύνην*, quæ cum aliorum contemptu junctæ sunt verissimi characteres formidabilis *Pædantismi*, quem nobilis ille Philosophus palàm præ se fert, quando Regibus & Principibus operam suam venditat, emendandi reformandique omnes Academias & Professionum disciplinas, ut misis veterum institutis sua principia & instituta pro geometricis veritatibus ubique haberentur; quæ tamen ego sum certus pleraque falsa damnoque generis humani esse reperta. Rursus, inquam, absit, ut omnibus, qui dubitandi via incedunt, id genus exempla præjudicare putem: sed hoc quod dixi, seu latius pateat, sive, ut opto, apud unum extet *Hobbesium*, ad doctrinæ fastum &

immanem vergere, *Pedantissimum* ratione mei instituti nunc sufficit approbasse. Minus credo laboris opus est, ut probemꝫ Philologorum quorundam & Grammaticorum fastum, de quo minus multa dicam, quia in confesso & conspectu apud omnes esse videtur. Uti que non de iis qui in historiarum variazque eruditionis notitia omnique humanitate excellunt, loquimur, sed de his maximè quos propriè Grammaticos & Criticos appellant quiq; tales *εὐχρονταίνας*. Horum ego studium præ cæteris equidem laudo & admiror, verum & hoc sæpè mirari subiit, qui fiat, ut ferè omnes qui his artibus se dediderunt tam sint audaces in iudicandis, in carpendis, in contemnendis aliorum sæpè magnorum hominum ingeniis, scriptis atque laboribus, idque cum fastu & arrogantia verissime *Pedantica*. In universum nihil potius occurrit, quam eos ideo tantis animis indui, quod in aliarum artium Professoribus frequentes Latinitatis & bene dicendi lapsus, si cum accuratis Grammaticæ Rhetoricæque præceptis comparentur, animadvertant. Quæ vitia cum illi puerilia putent, fieri vix potest, quin de iis qui in ejusmodi parvitates impingunt haud multò secus opinentur, quam si non procul à pueris abessent adeoq; more paedagogico excipiendi viderentur. Ita qui primis criticorum rudimentis defuncti sunt, præsumere solent: nam qui maturis consumma-

tisque

tisque studiis hoc augustum nomen implere possunt, plerique moderatius opinantur, intellectumque verborum bene norunt dividere à rerum divinarum humanarumque diffusâ notitiâ. Plerique sane; nam sunt etiam, qui in literis consenuere neque tamen arrogantiam & maledicentiam adversus aliarum artium doctores amittere possunt. Fecit hac parte notabilem se *Laurentius Valla*, qui his moribus *Superbi* nomen *Grammatici* consecutus est, ejusque adversus Theologos & Jurisconsultos acerbitas & *Pædagogica* auctoritatis affectatio satis etiamnum è scriptis ejus elucet. At Theologi quidem illius temporis censurâ politioris literaturæ non erant indigni, nec si Jurisperitos ejusdem ævi aliquando irridendos præbuisset, erat quod magnopere incusaretur; sed aculeos suos passim veterum Jureconsultorum, quos ipse alibi, ut optimos Latinitatis auctores invidendis laudibus extulit, scriptis infigere non cessat, plerumque superbius quam verius & semper ut Pædagogus. Sed mittamus aliquando fastum, de ostentatione videamus: ad quam refero jejunam illorum ambitionem, quos pudet ignorantiam ullo tempore in rebus ad professionem suam pertinentibus fateri, non advertentes, quanto plus dignitatis sit in confessione generosa quam in turpi dissimulatione imbecillitatis, quæ tamen eruditiores non fallit. Talis apud Agellium erat Grammaticus

eus ille, qui deprehensus in dicto quodam, cu-  
 jus expositionem promere non poterat, cum  
 antea suam peritiam mire jactasset, tandem  
 cum instantes amoliri non posset, lepidissimo,  
 scilicet, commento eos elusit; *Ego vero, in-*  
*quit, talia gratis non doceo.* Æquè misera fuit  
 alterius illius ambitio, qui apud Frontinem  
 Cornelium interrogatus de sensu versiculi En-  
 niani *præter propter vitam vivitur*, cum ingenuè  
 fatendo honeste defungi posset, (nam cum bel-  
 lis hominibus ei res erat) ille cum multum ru-  
 buisset multumque sudasset, tandem surgens,  
*Tibi, inquit, Fronto, postea soli dicam, ne inscitiores*  
*audiant & discant*, abiitque miser prædanta, ubi  
 gloriam captabat risum & ludibrium adsecu-  
 tus. Non longè ab his alieni sunt, qui se dili-  
 genti lectione parant ad certas quæstiones,  
 easque dein, captatis occasionebus, in medi-  
 um proponunt, non tam ut alios experian-  
 tur; quod intempestive factum per se præda-  
 gogicum est; quam ut ipsi variam lectionem  
 suam promptitudinemque, aliorum compa-  
 rationem venditent; quem morem apud  
 Professores aut Magistros rarius quam apud  
 eos qui Politici aut Forenses simulque lite-  
 rarum cultores amanti haberi, observare mihi  
 licuit; nec ideo tamen minus prædantæ exi-  
 stimandi sunt. Ita in omni hominum gene-  
 re inveniuntur, qui versiculos, sententias alia-  
 que eruditionis argumenta proferunt & incul-  
 cant.

cant, ubi nihil usu veniunt. Præcones Ecclesiastæ multi, ad plebem DEI verba facientes sæpè Latina, Græca, Hebræa terminosq; scholasticos magnificè intonant; Advocati leges Latinasque sententias, ubi nihil opus est, cumulant; quin & Medicos atque Chirurges aliquando apud ægrorum lectulos de causis generibusque morborum *μάλα τεχνικῶς* ex arte, sicut putant, audivimus diferentes; hos omnes pædantismi manifestos esse res ipsa loquitur, sive ostentandi causam habeant, sive innocua fit ineptitudo. Ampliorem hic locus explicationem haberet, nisi tam prope accederet ad ineptiæ confinia, cui proinde, si quid hujus generis deesse videbitur, reservabimus. Quò celerius ad hanc transire vosque longioris audientiæ tædio liberare possimus, breviter de altero pædantismi requisito, quod *ῥήτρα* virtutis erat, absolvemus. Primo definitionem pædantismi sic institueram, ut omnem vitiorum contagem in oculos hominum incurrentem, quâ doctrinam professi laborant, ex eruditione *pædantismum* facere judicarem, inductus in eam opinionem à Luciano, qui ad hanc formam sui temporis Philosophos ubique tractat. Sed re penitè ad nostri sæculi æstimationem perpensâ, non potui animadvertere, homines doctrinâ professos, ideo quod fœneratores, quod ebriosi, quod scortatores & profani habeantur, hoc ipso nomen *pædantarum* adipisci. Convitia equi-



equidem gravissima prudentium virorum non evitant, sed *Pædantismi* notatio est in ore vulgi, à quo id genus eruditi sæpè pro bellis habitibusque viris habentur; ex adverso qui exercitia partesque studiorum sanctissimè at à populari commercio secretius transigunt, non raro *pædantismi*, licet immerito, traducuntur. Verum qui his vitiis modo enumeratis evidenter se conspurcant & simul fronte caperatâ gravibusque verbis doctrinæ prætextu contrarias virtutes adseverant, eorum intestabilem esse *Pædantismum* caret omni dubio. Tales erant, qui tempore Luciani magnâ contentione docebant, temperantiâ, fortitudinem modestiam, contemnere pecuniam, gloriam; sola pulchra ducere quæ honesta, sine ira, sine affectibus agere; cum ipsi interim (non tempero mihi à Græcis) apparerent, ὀργιλώτεροι τῶν κυνιδίων, δειλότεροι τῶν λαγωῶν, κολακευτικώτεροι τῶν πιθήκων, ἀσελγέστεροι τῶν ὄνων, ἀρπακτικώτεροι τῶν γαλῶν, Φιλονεικότεροι δὲ ἀλεκτρούων, id est, iracundiores canibus, timidiores leporibus, adulantiores simiis, impudentiores asinis, rapaciores felibus, contentiosiores gallis gallinaceis. Videres eos cum palliis & barbibus apud ostia divitum oberrantes, se invicem detrudentes, cœnas captantes, illic dominos immodice laudantes, mox voracissimè incumbentes patinis, lautiora aliis præripientes, de in cibo vinoque repletos & barbibus jure madentibus

tibus iterum clamare, Philosophum nullius rei indigere, solum esse divitem, fortem, pulchrum, Regem; postridiè videres eosdem stitem petentes & non dantibus irascentes; rursus de liberalitate multum loqui, & adiaophon esse divitias, nihil aurum argentumve à lapidibus in littore sparsis differre. Quod si vetus ad ipsos amicus opis indigus accederet, tum vero *σιοπή και άπορία και άμαθία και παλινωδία*, *silentium & inopia & inscitia & recantatio*; hætenus enim amicos noverant, dummodo nihil auri argenti que positum esset in medio. Si liceret, non injucundam hujus generis orationem vobis exhibere possem. Hoc unum oportet tamen addam. Virtus, Philosophia & Justitia, sic placet Luciano, proclamari jusserant Athenis, Philosophi omnes adessent in Acropolim, ut professione suâ re ac moribus approbata, præmiis dignis honorarentur, vix totidem accedebant, quot divitis ostia Nili. Iterum, Syllogistica proclamabat, adessent Philosophi in acropolin, qui optimum facere posset syllogismum in formâ, duas haberet minas argenti cum placentâ: Momento temporis plena erat Acropolis *κλαυσηδόν προκαθίζόντων*, cum murmure confuso sedes capientium, *και πανταχῶ πῆρσ πάγων, κολακία, άναίχουντία, βακτηρία, λιχνεία, Φιλαργυρία, συλλογισμός*; ubique apparebant *baculi; pera, barba, impudentia, adulatio, liguritio, avaritia, syllogismus*. Fateor hæc  
ita

ita secundum literam his diebus omnia simul usum non habere, sed an non bona pars de quibusdam hujus quoque temporis hominibus vera sint, vobiscum ipsi, *Auditores*, existimabitis. Quid utique, si *Petrus & Paulus* in illo suo simplici cultu citarent omnes qui sacra faciunt, ad rationem muneris sui reddendam & verba sua factis implenda sub præmio cœlestis beatitatis; Rursus; si *Constantinus Magnus* ille muniticus sacri ordinis Patronus omnes & singulos invitaret ad talentum magnum & tesseram annui lautioris accipiendam, quid eventutum esset, suæ cujuslibet conjecturæ delegabo. Transeamus ad ineptiam, quæ sine dubio maximam prædantissimi partem occupat, & de quâ ingens æquor orationis se pandit, si exhauriendum esset argumentum; Sed rationem oportet aurium vestrarum meorumque laterum habeamus. Principio vobis aliam ex *Luciano* fabellam dabimus. Ait, *Menippum* ex horto *Philosophum*, cum per omnes sectarum vias ambulasset, multoque incertior esset quam dudum de vera vivendi ratione, tandem, duce *Mago* quodam, itinere portentoso venisse ad inferos, ut ibi *Tiresiam Thebanum*, qui sapiens & vates fuerat, de verâ vitâ consulere; ab hoc autem ægrè & sub religione silentiū responsum accepisse in aurem, ὁ τῶν ἰδιωτῶν ἀεισιβίη, *simplicem indoctorum vitam esse optimam*. Non sum ejus sententiæ, *Lucianum* id in præjudicium omnis doctrinæ & *Philosophiæ* dictam

dictum voluisse: nam quanti faceret eruditionem & sapientiæ studium cum passim in scriptis etiam aliud agentibus, tum in *somnio*, in *Nigrino*, in *Demonacte* & alibi testatus est luculenter. Sed arbitror hoc eum studiosis hominibus inculcarè voluisse, gen9 optimum doctrinæ id esse, quod minimum recederet à iudicio communi hominum, qui simplicitate naturali recte uterentur; scilicet, accedente cultu civilis conversationis, quæ in vitâ privatorum, quos utiq; noluit esse feros & barbaros, supponi debet. Non est igitur abs re, ad hunc veluti lydi-um lapidem exigere notas pædantismi, ut quicquid in eruditione exercenda impingit in commune atq; civile iudicium hominum, id magis aut minus; sunt enim gradus hic sine dubio; vitium de quo nunc agimus, participare videatur. Sed ineptitudinem hominis docti ego trifariam considero, in excolenda eruditione, & in exercitio atq; praxi cum eruditionis ipsius, tum etiam vitæ communis. Dices, in hac ultimâ parte solâ commune & civile iudicium spectari potest; in æstimatione doctrinæ ejusque exercitio, quo pacto id usu venire queat, non apparet. Ego vero sic existimo, commune atque civile iudicium sal esse omnium rerum, ipsius quoque reconditissimæ doctrinæ: Suppono quidem notitias à vulgi sensu remotas; sed illa ipsa scientia tali iudicio regi debet, quale plebs in suis negotiis omni die exercet, alioquin insulsa & insipida cuncta fient. Specta tropos  
& si-

& figuras Rhetorum, senties omnem eorum gratiam ab illo communi pendere iudicio. *Ca- li ingentes fornices* dixerat Ennius, improbat Ci- cero, quia commune iudicium dicitur, fornices nec magnos esse, nec totum implere circum- & à rectis consurgere lateribus. *Stercus Curie* & *Glaucia* dictum Fabius reprehendit, ut commu- ni iudicio foetidum, Item *Respublica morte Camil- li castrata*; alibi, *persecuisti Reipubl. vomicas*, rur- sus ut civili iudicio nimis enormes & invere- cundæ translationes à Quintiliano reprehen- duntur, ut etiam *saxea verruca* pro scopulo, ni- mis exiliter dictum. Sexcenta talia, quæ profer- ri possent, vitia quilibet idiota videbit & ride- bit. In affectibus equidem morumque viâ scimus, idoneum auctorem non esse turbam, sed alia est ratio iudicii communis, quod non aliter à Deo conditum est, quatenus labe originali mansit intactum, quàm sicut in consensu lon- ge maximæ partis hominum, de rebus eorum captum non superantibus elucet; unde non absurde fertur in proverbio, si id rectè ita mihi intelligendum videtur, *vox populi, vox DEI*. Igitur in omnibus scientiarum traditionibus id observandum, ut præcepta quantum fieri potest, communi civilique iudicio consentanea formentur. Etenim eâ gratia doctrina- rum professiones institutæ sunt, ut per regulas attentâ meditatione usuque conceptas & fir- matas secreta rerum in simplicissimas veritates resol-

resolvantur. Quicumque igitur id agunt, ut involucris formularum terminorumque scholæ, quasi ænigmatibus cognitiones rerum implicent atque tegant, ne populo scilicet innotescant, eos hæcenus *Pædantismi* absolvere non possum; Quid enim est aliud inepta scholasticæ doctrinæ ostentatio, si hæc non est? Quicumque etiam scientiæ alicujus doctores audiunt, neque tamen in id incumbunt, ut finem usumque artis suæ adipiscantur & promoveant, iis nullam injuriam fieri puto, si perinde *Pædantismi* insimulentur. A Theologis rursus me abstineo, judicent ipsi artis gravissimæ Doctores, utrum melius sacra eruditio se habeat, ubi quam proximè ad Apostolicam vel potius ad Christi Dòmini inimitabilem simplicitatem accedit, quam ut supellectile scholasticâ ornata an onerata est. Numquid etiam *Magistris nostris* haud intelligibili farragine vocum sanctissima mysteria deformantibus iisque ineptissime superbientibus dum plebem nihil eorum capientem simplicissimis Dei literis arcent, nomen Pædantarum male sederet, eadem fiduciâ sanioribus Theologis arbitrandum relinquam. De juris nostri arte liberius dicam, ut domesticâ, quæque tota super illud commune, illud civile judicium fundata & ædificata est atque secundum illud doceri & explicari debet; nã hoc fiat, tanto pejor inde Pædantismus exurgit, quanto ingenium esse ab hoc vitio longius

us abesse videtur. Finis Juris est justitia, non tantum, ut leges secundum ejus præscripta condantur, sed etiam inprimis, ut hæc virtus in societate humanâ colatur & exerceatur. Ideo, qui Jurisconsultus haberi vult, eum id operam dare oportet, ut regulas æqui bonique intelligat & in promptu habeat, quibus in loco & in tempore ad negotia hominum gubernanda prudenter uti frui possit. Eam juris professionem, quæ hoc sibi non proponit, hoc quoque non præstat, ego fidenter esse dico prædantissimum. Parce, dicat aliquis, & respice temet ipsum; nonne tu ex eodem isto loco, cum pro juris professione diceres, laudasti multum *Alciatos, Cujacios, Donellos* & tot alios præ *Accursio, Bâldo, Bartoloque de Saxo ferrato* omnique Doctorum turbâ, licet hæc ad forensam notitiam sit aptior, quam sunt illi priores elegantiarum Magistri? Nonne Tu ipse cultiorem hanc viam à præceptoribus tuis edoctus es, nonne videri vis hanc ipsam præire Te tuis sectatoribus? Mea vero sic ratio est, *Auditores*, artem juris Romani tradendam in Academiis, intelligi non posse sine pura linguæ Latinæ & aliquâ sermonis Græci notitiâ, deniq; sine historiæ & antiquitatis Romanæ saltem mediocri peritiâ. Sed quid tum postea? Jurisconsulti veteres, quorum ad intellectum hæc præambula requiruntur, in eo sunt toti, ut forensam & pragmaticam Jurisprudenciam suis auditoribus tradant. Qui vero

verò hanc ultimam partem fastidiunt & tamen se Jus tenere putant, hos ego, si schapha scapha dicenda est, pædantismi non expertes reor esse; sint Philologi, excellent criticâ laude, Philologi quoque juridici appellentur, fiat, non repugno, quin pædantas esse nego sed literarum elegantiarumque cultores esse fatebor. Sed Jurisconsulti nomen augustum præferre, nec aliud quicquam dare Studiosis quam de emendandis aliquot textibus, de conciliandis circa obsoleta capita quibusdam antinomiis, de verborum aliquot priscorum usu conjecturas; cum de Jurisdictione judiciisque agitur nihil facere quam de tribunali Romano, de ordine fori antiquo loqui; de usu vero & observantia singulorum titulorum, quæ his diebus obtineat, tribus verbis absolvere, sæpe nihil dicere, nego hæc esse Jureconsulti, inepta judicioque communi adversa mihi videntur. Rursus, inquam, absit ut spernam illud alterum genus, scire etiam volo, delector iisdem & elegantias voco; sed juris artem iis rebus perfici id utique nego. Instituire digressiones observationesque historicas philologicasve bene se habet in Jure, si *πύρερον* non si *ἕργον* inde tuum facias, si humaniora te adspargere velle præmoneas; non si juris Professore absolvi velis. Sunt, præterea, qui systematicam doctrinam, quæ per



Definitiones, & partitiones earumque exegetes, juris artem ob oculos ponit, Prædanticam esse volunt, quiq; Studiosos nihil quam libros à Justiniano relictos legere præcipiunt. Si prædantas vocarent eos, qui nihil aliud quam systema legunt, qui libros authenticos vix inspiciunt, eorum sensa non indagant, sed proram atque puppim sui studii in scholasticis rudimentis collocant, haberent me consentientem. Sed absq; ullo ductu systematico sine expromptâ definitionum divisionumque memoriâ & intellectu diffusam veterum lectionem aggredi, doctrinam ejusmodi parit, qualis est, arena sine calce: possent esse magna, perspicacia ingenia, quæ hoc modo validè proficerent, non recusò; sed vulgo Studiosorum nihil inutilius arbitror. Optimus ille modus, quem Justinianus præscripsit, est ille verat in suos libros scribi commentarios, sed paratitla permittit, hoc est, breves & succinctas complexiones, quibus judicia tyronum regantur diffusæque materiz compendio præsumantur; nam prolizæ commentationes à textu & legibus ipsis innitia discentium seducunt. Ita modus in omnibus rebus optimus est habitus. Hæc omnia credo nec aliter suo sensu apud Medicos adque Philosophos se habere, quin & illic indulgere speculationibus solis, mandare memoriæ dictata rudimentorum, his se jactitare, nihil extra sapere, non contendere ad usum artis, docere non in-

intelligibilia fit *Pædantismo*, ut notabiliter in hoc vitium imegit vetus schola philosophantium, quos nihil opus est ut nos heic loci exagitemus eaque operâ novatores eorum æmulos & jam superiores stantes allevemus. Videbat aliquando non incelebrem è Schola Philosophû in mœnibus hujus urbis obambulantem Theologus non è minimis, & ipsemet ambulans cum amico Philosophiâ non indocto. Vin' tu, in quid, illum philosophum consequamur? faxo nos audias acerrimè disputantes, ut nec tu nec nos invicem quicquam intelligamus. Consequuntur, alloquuntur, movetur problema, quod eadem die publice ab altero ventilatum fuerat, de *quieditate Hæccitatis*. Argumentantur hinc inde. fit altercatio, vox intenditur, micant digiti, it clamor in auras; nihil ut capiat ille tertius nec quicquam intelligi posset, ab his sane, qui quid esset intelligere, scirent. Hunc esse pædantismum in qualibet artium Facultate non credo negaturum, qui vel omnino Pædantismum dari negaverit. Si jam porro ad Eloquentiam me conferam ibique diversas inepti species excutere velim, *Auditores*, vix est, ut finem modumve orationis invenire possem; de Oratoria Facultate *Quintilianus*, de Historicâ *Lucianus*, de Poëtica *Horatius* innumeras Pædantismi species & exempla nobis suppeditarent. Summa redit eodem, quod pridem dixim, ad commune atque civile judicium redigendum

dum esse eloquentiæ modum, ut sit facultas ingenio usuque ita culta, consummata, uti flectendis rapiendisque hominibus apta comparata sit. Proinde quoties in oratione solutâ ligatâve, cura studiumque apparet ejusmodi per quæ fit, ut attentio voluptasque auditorum comprimatur & suffocetur, non est dubium quin hujusmodi apparatus Pædantismi vitio laboret, maximè, si accedat affectatio grandium sonantiumque verborum, aut quod pejus eiq; tamen generi tumido familiare est, obscuritatis, quâ multi etiam docti, ut videntur, homines intolerabiliter sibi placent, quasi major orationis ulla virtus esse posset quam pura & decora perspicuitas, quâ rerum difficiles etiam rudibus explanentur & eloquii institutum, ita ut ab auctore sermonis Deo generi humano inculcatum est, ad communicanda invicem cogitata sua prompte, jucunde valideque exerceatur. Quis igitur Pædantam fuisse neget illum dicendi Magistrum, de quo Fabius narrat; eum increpuisse discipulos, si quid clare nimis simpliciterque posuissent; *Σκότησον παῖ, fac stylum occultiorem puer*, ajebat. Alius, cum audisset è discipulis unum ex ipsius præscripto involute, perplexè, declamantem, *tanto melius*, inquit, *ipse non intellexi*. Quid vobis de Professore publico Eloquentiæ videtur, qui Terentium atque Ciceronem ut nimia perspicuitate languidos se ferre non posse fatebatur,

batur, sed *Winfemium* nostratem admirabatur & stupebat; quid est eloquentia, clamabat, si hæc non est? & exordia quædam orationum recitabat, verbis grande sonantibus & quasi è profundo effossis in altitudinem condita, verum adeo perplexa & obscura, ut rarus lector, nisi valde attentus, quicquam intelligeret; Huic enim vitio: sic appello & quidem maximo; Vir ille Egregius pravâ consuetudine in orationibus (nam in historiâ minus hac parte laborat) obnoxium se reddiderat. Si pædantismus est doctrina, quæ magno conatu nugæ agit & contra iudicium institutumque generis mortalium nititur, haudquaquam obscurum est, quid de tali spuriâ atque, ut ita loquar, ebriosâ eloquentiâ existimandum sit. At hujusmodi rebus si inhærere vellem, *Auditores*, exitum orationis nullum reperirem, quam vereor ne jam ultra publicæ recitationis modum putetis continuari. Proinde compendio atque transcurso in reliquis utemur. Habuimus ineptitudinem, si licet ita loqui, theoreticam, de practicâ videndum, quam licet in aliis facultatibus æquè notabilem esse noverimus, solius tamen Jurisprudentiæ respectu nunc eam considerabimus. Nihil est critius illis, qui in fori peristyliis judicandi vel respondendi causa versantur, quam Academicos Juris Doctores insimulare pædantismi, propterea, quod usum artis atque praxin,

ut loqui amant, ignorant. Ego vero Professores, qui muneris sui partes fideliter implent, nihil minus quam *Pædantæ* esse abunde probavi. Sed hosce forenses magistros, qui pædantissimum longe infra suæ professionis homines fitum esse putant, frequentius hoc vitio infectos esse, quam Academicos, date veniam *Auditores*, dum paucis verbis ostendam. Primo omnium, quod homines ex Academiâ recens dimissi infulisque doctorum honorati, eos à quibus artem didicerunt suam, quasi pædagogos, eorumque doctrinam pro Pædantismo insolenter habere videmus, quam procul id abfit à vero pædantismi caractere non potest ignorare qui definitionem ejus jam pridem à nobis expositam perpenderit. Præterea, non semel accidit ut inciderem in scripta Advocatorum, qui clientum causas ex Jure deducturi integra loca illius materiæ, ad quam res pertinebant, per definitiones divisionesque tractarent, uti cum de valore testamenti in judicio certabatur, etsi nihil opus esset, docebatur scilicet; quid & quotuplex testamentum, quænam ejus requisita aliaque, sicut nos Auditoribus in universâ Institutione tradimus, iisque tandem aliquando finitis, ad rationes juris, quæ meritum causæ spectare videbantur, procedebant. Hujus generis Advocatum memini acerbè aliquando conqueri, se causâ cecidisse, tametsi vix tres versus Belgicè, omnia ferè Latine ex  
intimo

intimo juris penu elaborasset. Hos ego non minus pædantismi reos crediderim, quam sunt omnes qui in Confiliis, in libellis deductionibusq; causarum leges jurisque rationes Auctorumque nomina cumulant, etsi nec opus sit, nec ad rem probandam finiendamq; pertinent. Id maximæ Advocatorum parti omni die contingere, testor eorum scientiam, qui audiendis litibus examinandisque judicialibus scriptis dant operam, nec adeo pædantismi plerosq; absolvi posse fateri necessarium est, si ve iudicio inepto si ve per ostentationem apparatu eruditionis abutantur. Nam utroq; committi pædantismum verba definitionis superius à nobis collocatæ expositæq; demonstrant. Doleo non esse nobis integrum, evidentiam multifariæ ineptitudinis, quæ in hoc genere frequentatur, exemplis palam facere, quæ haudquaquam sollicitè inquirenda forent. Quod si novum inauditumque esse dixerint, homines Pragmaticos & in fori luce versantes accusare vitii, quod scholastantum redoleat, velim faciant, ut cogitent, apud Clientes consulentesque præferre mysteria doctrinæ legibusque eruditum velle videri ubi nihil usu veniat, duntaxat ne parum clerici habeantur, nunquid ineptæ ostentationis, quæ in stultiorum negotio pædantismus est, id absolvi possit? Quin nec à Curiis Judicum id esse alienum, fidem facit Parisiensis illius

S 5

Senatoris

Senatoris exemplum, de quo *Montanum* referre memini, cum prolixè in Curiâ, de causâ quadam, eruditeque, imprimis ut ipse putabat, dixisset, ut collegis autem ejus videbatur, ineptissime, dimisso senatu, auditum fuisse in angulo palatii de successu tam doctæ orationis sibi plausum dedisse, tandemque pietatis memorem exclamasse, *Non nobis Domine, non nobis, sed tuo nomini sit laus & gloria!* Neque desunt alibi passim in Curiis, qui opinionè doctrinæ placentes neque judicio præditi sano rectoq; pro sententiis suis textus rationesque juris ambitiose non minus quam infeliciter allegando, cum partibus perversè consulunt, tum Prædantissimi manifestos sese produnt, tantò vehementius quò pertinacius sæpe pro suis nugis pugnant, nulloque modo ferre possunt, si qui eruditissimis eorum ratiocinationibus contradicere in animum induxerint. Hæc etsi de Jurisprudentiâ potissimum differuimus, nihilo secus in artibus reliquis usu venire probatu facile erat, si tempus audientiæ superesset. Duntaxat in oratoriâ facultate quam latè patet observatio dicti Tulliani, quo *Eloquentiam semper ineptam ille princeps oratorum judicavit, nisi quando est necessaria?* profecto non est intolerabilior Prædantissimus quam orationibus homines obtundere, ubi non congruunt, vel ultra negotii modum explicare dicendi copias. Quo genere ineptæ ostentationis fateor, ordinis nostri

nostri homines frequenter auditores suos enecare; quin etiam ex Politicorum numero non pauci in eundem lapidem offendunt. Henricus Magnus Rex Galliarum rogatus audientiam à legatis Massiliensium paulo ante meridiem, cum ad prandium ipse festinaret, iussit eos admitti, sperans, ut moris est apud Principes, eos breviter absoluturos. Sed orator eorum ita ordiebatur; *Hannibal proficiscens Carthagine*; Tum Rex, *Hannibal*, inquit, proficiscens Carthagine *jam pransus erat, Ego sum pransurus*; & cum dicto abiens oratorem cum suis pudore confusum reliquit. Haud dispar nepotis *Ludovici Magni* exemplum, cum is nuper, Iperis & Gandavo captis, Lutetiam properaret, Insularum Magistratus, ut publice relatum est, in viâ constiterant Regi congratulaturi; stabat orator, parans exordium, quod Rex altius ductum iri animadvertens, *Sat in, vobis placent*, inquit, *Gandavum & Ipera capta? Imò verò illi*; Etiam mihi, inquit & pergebat. Teneamus igitur, quicumque in actionibus publicis privatisque affectat videri doctus & eloquens, eruditionesque miscet, ubi necesse non est, *Pædantismi se* alligat, & hujus rei quam multiplex usus abususque sit pro sese cuius observare licebit. Idem affectationis vitium facit ex hominibus doctis in commercio vitæ communis & conversatione civili pædantas, quando in habitu, incessu, vultu, motu corporis ipsoque

sermone



sermone singularis amant esse contraque iudicium commune se conspiciendos ridendosque præbent. Injurii sunt aulici homines aliique peregrinis culti elegantiss, quando eruditos, qui talia civilitatis imitamenta nesciunt usurpare, quasi *pedantæ* intuentur, modo in illorum simplicitate nihil affectati vel contorti appareat. Nam etiam hac parte verissimum est illud, τὸ δὲ Φύσει κρείττιστον ἅπαν, *quicquid cum natura convenit, optimum est.* Non excludimus utique diversitatem hominum atque professionum neque mutationem vultus, cultus, incessus sermonisque secundum illam varietatem; modo in omnibus conveniens decor & moderatio civilis nihil abhorrens ab usu recepto fervetur. Nam quicquid eminet, ut quæsitum, offendit oculos statimque fastus & *αὐθαδείας* suspicionem parit, vel inptiæ præsentem utique imaginem exhibet. In oratione sicut animi *characterem natura* imprimis expressit, ita nihil frequentius in hominibus eruditiss degenerat. Vel sola pronuntiatio spectetur in his, qui ad populum de sacris verba faciunt, quam sæpe enormis, inflata, detorta & affectata sit, ut odium sui tædiumque aliquando nulla re alia in auditoribus excitare videntur. Prorsus opera danda est, ne eruditio nostra cuidam gravis aut molesta sit; nec scio, an non huc, ipsum Latini sermonis commercium redigere nos oporteat, ut nec illud prædantissimi sit expers, si absque necessitate frequen-

quentetur apud homines, quibus in promptu non est facultas hujus linguæ, vel qui promiscuo ejus usu non delectantur. Dolendum equidem est, hoc commune gentium Christianarum vinculum ita resolvi in defuetudinem, ut etiam inter homines doctrinam professos Latine loqui, de rebus à studiorum disceptatione alienis, pædagogicum habeatur. Quæ opinio ex Italiâ in Gallias & Germaniam derivata & in Hollandia nuper recepta in hanc quoque *Frisiam* moris antiqui tenacissimam alioqui, nuper invasit, irrupit. Quando ita se res habet & hic mos jam plane inveteratus est, viri prudentis officium existimamus esse, eo modo cum hominibus agere versarique, ne sui ipsius odium atque fastidium præbeat. Judicavit ita jam olim *Jacobus Augustus Thuanus*, qui refert in *vitâ suâ*, cum ad *Carolus Sigonium* eloquentiâ literisque politioribus inclutum virum Bononiæ aditurus esset; cum intelligerem, inquit, hominem agrè Latine loqui, malui Italice cum eo balbutire; quam minus familiariter cum tanto viro agere. Nonne meminimus *Salmasium* humanioris doctrinæ artiumque eloquentiæ Principem habitum, cum in Belgicam venisset, agrè cum hominibus Latine loquentibus verba commutare potuisse, solitumque esse percunctari, si quis eum ita compellaret, nunquid Gallicè sciret? In Germania cum *Freinshemio*, cum *Böclero* aliisque hominibus, qui vitam omnem in Eloquentiæ

Ro-

Romanæ studiis transegerant, idem mihi ferè contigit, quod *Thuanum* de *Sigonio* narrantem audivimus. Utiq̄ue postquam *Böclerus* in musæum me suum invitans dixisset aliquando vernacule, habere se illic hominem Belgam; atque roganti, unde? nescio, inquit, subridens, at Belgam oportet esse, cum nihil quam Latine loquatur; per me scilicet ingrato hominis colloquio expediri volebat. Sit igitur jam porrò, si dīs placet, Latine loqui pædanticum, vel hac causâ, quam diximus, vel ea, quam alius homo in literis jure suo magnus probabat, quoniam Latina lingua aliter quam studiorum causâ sermone trita, miserrimè luxatur & laceratur à vulgo eruditorum, quasi præstet eam prorsus ut linguam mortuam cedere gallicissimo quam imperfectius usurpari. Nam id jam Galli magno successu agunt, ut suam linguam loco Romanæ universalem dominantemque in Europâ faciant, quod utinam aliquando majoris & dominatoris successus omen initiumque fuisse non videatur! Quod si unquam fieri potest, ut Latini sermonis usus quibusdam gravis videatur, nolite tamen existimare *Juvenes Ornatissimi*, propterea segnius huic linguæ excolendæ vobis incumbendum esse. Namq̄; necessitas eleganter florideq̄; scribendi nihilo minor hodieque manet, quam fuit unquam; loquendi etiam, ubicunque de studiis quæritur, ubi de rebus magni parvique momenti

menti ex rationibus eruditæ artiumque fundamentis agendum & disceptandum est. Neque profecto faciendum, Auditores, ut nos privari patiamur ejus linguæ privilegio, quod Studiosos à profana plebe distinguit, & quod Gallicismus nemini vestrum præstare potest, quo feminæ, milites aulicique bonarum ignorantæ rerum facile vobis antecellent. Demus hoc socordix seculi & tralatitix humanitati, ut eorum, qui Latina reformidant pudori ignoscamus; sed nunquam inter nos invicem illam gentis gentium dominæ linguam cessemus reddere nobis familiarem; sine cujus exprompta facultate omnis eruditio nostra tanquam situ squalida sordescit & sapientia balbutire videtur. Teneamus saltem ex eloquentiâ modum, hætenus, ut ne ostentemus, ne obrudamus eam; sed ita nos comparemus, ut in tempore locoque gravi illâ & adhuc imperium orbis resonante linguâ res magnas facunde, copiose voce calamoque tractare & illustrare possimus. Nec est quod amplius imposterum nescio quod Pædantismi apud vulgus odium revereamini, quando Frederici Imperatoris vere Magni, quod agnomen invidia Pontificum negavit huic Heroi, glorioso patrocinio adversus inimicos literarum tuti & honorati esse potestis.

**F I N I S.**

Errata potiora ita corrigentur.

Pag. 24. li. lege *adscriberetur*. pag. 25. l. 17. lege *verterunt*.  
 Alii ad &c. pag. 28. lin. 10. lege *nimus* pro *minus*. pag. 54.  
 lin. 5. lege *formulas* pro *famulas*. pag. 131. lin. 11. lege *falsi*  
 pro *falsi*. item lin. penult. lege *repugnanz* pag. 160. lin.  
 ult. lege *Propositionum*. pag. 163. lin. 7. lege *de aequipol-*  
*lentiis*. pag. 168. lin. antep. lege *examinis* pro *exanimis*  
 pag. 175. lin. 21. lege *Horisticam* pro *Historicam*. pag. 196.  
 lin. 14. lege *At pro Ad*. item lin. 22. lege *utilitatis*. pag.  
 200. lin. 4. lege *bene* pro *ne*. item lin. 25. lege *Methodi-*  
*cum*. pag. 203. lin. 2. lege *scilicet*. pag. 213. lin. 17. lege  
*amisit* pro *misit*. pag. 253. lin. 2. lege *Conaris*. pag. 254.  
 lin. 9. lege *apponam*.













